

F.VIII.37.
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W.A.305.

SIGNAT. CCCXIII.

n.k.




CONSULTATIO
CVRTIANA,
SUPER
SVCCESORE ALEXANDRI
MAGNI CONSTITUENDO,
SEX ORATIONIBVS EXPRESSA;
AC
PVBLICE PROPOSITA
ACCURANTE

Galentino Tilmne.



REGIOMONTI.


Litteris Paschalis Mensenij Anno 1643.



regis Aridæi proponet, siveq; claudet o-
mnem hanc deliberationem:

Cujus quidem sive dignitatem, sive uti-
litatem species, quod aptius Nobilissimis
ingenijs exercitium conveniebat? Quid
enim sublimius, quam de ejus successore
deliberare, cujus magnitudinem adhuc
mundus omnis admirans, quid secundum
ut par eidem ostendat, nescit? Quid vero
utilius, quam eas mentes, quas Regum
Principumq; consilijs expediēdis, si DEUS
voluerit, olim adhibendas speramus. hisce
deliberationibus præparari, quarū mate-
ria in Regnum administratione, citra
summum aut dedecus aut periculum, i-
gnorari non possit. Quæ uti omnia vobis,
Mæcenates, Patroni, Fautores & Amici
solendi, ve stra suggestit prudentia; ita hoc
unum submisse ac officiosè rogo, ut pristi-
no favore, quem sapientius sub horum exer-
citiorum institutionem, cum devinatissi-
ma gratitudine, sum expertus, hoc quoq;
prosequi institutum, ac NOBILISSIMO-
RUM JUVENVM laudatissimū conatum
honoratissima vestra præsentia, XIV. Junij
hora post meridiem Prima, in Auditorio Ma-
jori

ſori promovere velitis. Ita, non modo quæ
& ab ipsis, & à mea tenuitate proficiſci
cuncta poterunt, vestrī ſervitijs & officijs
addicta, æternū ſentientis: ſed & Muſæ
ipſæ nunquam intericuram vobis gratiam
prætabunt. P. P. 9 Junij 1641.



PRE-

PRÆLOQVIVM

COLENDI DOMINI:

Qued de communi literarum incremento vulgo dicunt, nulla illud re alia, quam Patronorum favore & benevolentia, tanquam saluberrimo benefici ejusdem sideris influxu, promoveri: illud quidem si Humanioribus Artibus, & speciatim Eloquentiae propriissime omnium convenire dicam, neutquam mihi videar errare. Cum enim reliqua Artes plerique amplissimo atque uberrimo premio beene cultores, sola hæ passim abjectæ jacent atque contempta, quod non de pane, uti illi dicunt, lucrando sint, sed circa exiles versentur verborum tricas, dumque circa horum putamina occupentur, ad rerum nucleus nunquam penetrare soleant. Quod tamen quantum opere falsum sit, hoc loco non arguo, illud saltem dico, quanto opere se ab horum contemptu vindicent, si patrocinium honoratissimorum Virorum, ac propensum benevolentiae affectum experiatur. Ne quicquam enim rodi suam dignitatem putant, dum ab horum Excellentia nutriantur. Id quidem sapius antehac cum latissimo Academie honore, & felici operæ literariæ proventu senserūt: nunc vero, quia hodierno die iterum, Colendorum Dominorum meorum præsentia, aclaratum sibi vi-

A

dens

dent, gratulari sibi animitus mihi videntur,
¶ D. V. me interprete devotissimas gratias,
quantas possunt, cum servitorum omnium ob-
latione agunt, illudq; maxime omnium curatu-
ras sese pollicentur, ne D. V. præstiti beneficij pæ-
nitere queat. Quod si tamē prestare omni ex par-
te hâc vice nequeant, multum saltem oblecta-
zionis ex ipso argumento accessurum confidunt.
De ejus enim dignitate & sublimitate cū alibi a-
etū sit, nunc saltē, quā aptissime patria statui cō-
veniat, videamus. Grandem illam ac immanem
gladem, quā patria universa, morte incompa-
rabilis Principis & Domini, Dn. GEORGII VVIL-
HELMI &c. &c. fidissimi Patris sui, afflita
fuit, quis non luxit: at idem luctus Macedoniae
fuit, quo magnum suum Imperatorem, inter
difficilimum Imperij statum, est prosecuta. Que
zamen si, ex Aridai novâ successione, summo
gaudio fuit perfusa; quis justius gaudium nobis
abortum non dicat, qui SERENISSIMVM &
POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DN. DN.
FRIDERICUM VVILHELMUM, favente eter-
nitudinis bonitate, Pario regimini admotum
videt? O inoffensus sit ac aeternus, o Deus, hic
favor, ac quacunq; huic tanta rei saluberrime
gerenda supersunt, eadem felicitate, nec mino-
ri facilitate perfice. Quæ quidem prout vestrū

omnium vota esse nullus dubito; ita quoque tam
tarei recensionem, aliquot saltrem circumstantijs
immutatam, instantibus heris, patientia ure per-
ceptruros confido. Id prout submisse ero, ita prom-
pissimis servitij*s* demereri istud me conaturum
sanctus promitto.

ORATIO I.

Sub Personæ PERDICCÆ post deploratam Ale-
xandri mortē, caput futuræ deliberationis pro-
ponentis, ac ad solerter tantarei consideratio-
nem proceres hortantis:

Habita à

WOLFGANGO FRIDERICO a KREYZEN

NOB: BORVS.

O Ingentem fatorum inclem̄tiam! ò
diem atro notandam lapillo! ò miseros
nos & plus quam dici potest infelices!
quibus adversa fata bona sua adeo invident, ut eum,
qui præclaris dotibus & divinis prop̄e virtutibus o-
mnes antecellebat, quasi de industria nobis eripue-
rint, in eumque omnia tela cōjecerint, quē maximo or-
namēto nobis fuisse, & majori futurum prævide-
bant: quasi ē nostro emolumento aliquid imminu-
tionis ipsorum potentiae fuisse eventurum. Hincque
in eo totis Viribus occupabantur, ut eum quam pri-
mum ē medio tollerent, quem videbāt exemplo su-
mortalibus adeo profuturum, eosque adeo claturum

A 3

et eos Dijs immortalibus pene pares efficere posset.
Exempla obsoleta & trita in medium hic producere
opus nō est, cum nullū tūtius, nullum acerbius exco-
gitari hoc, qui nos premit, casu possit. Dum enim in-
exorabilia fata Invictissimo & Potentissimo Impera-
tori vitæ fila præsciderūt, tali, inquā, Regi, cuius parē
nō tantū Regna nostra nō viderant, verū etiā omnia
alia regna nō videbūt: Hunc dū (inquam) terris hisce
eripuerunt tantam invidiæ notā nobis testata sunt,
ut majorem excogitare non potuerint. Quamvis
enim ea sit communis vitæ nostræ & humanæ fragi-
litatis conditio, ut nihil tam certum, nihil tam con-
stans atq; firmum sit, quod vicissitudini & interitui
subjectum non sit: Videmus quippe fulgidissimum
Solem, Rectotem hujus mundi, qui radijs suis univer-
sū hujus mundi theatrū illustrat, intra unius momēti
spatium, atra nube regi & abscondi; grādissimas ar-
bores firmiter inhærentes suis sedibus, uno flatu e-
velli, opulentissimas naves uno turbine concuti;
quām proximè tamen imminet interitus ijs, quæ vel
pretio carissima, vel specie splēdidissima sunt. Ita ge-
nerosissimas atbores fructu & specie splendidissimas
fugacissimæ ætatis esse reperimus: Sylvestribus cōtra
atq; nullius fructus sat annosis existentibus. Testatur
illud nimirum abunde affatimq; hic (quem non sine
singulu gemibundo profero) imaturus obitus maxi-
mi nostri Imperatoris, ille enim unus fuit, in quo nos
recreabamur: ille unus fuit, cuius solus aspectus o-
mnes nostras acerbitates depellebat, qui postquam
Omnium animos in admirandam suam Virtutem con-

vertisset, in ipso ætatis flore immatura morte cadit.
O fallaces hominum spes! O incerta & lubrica vota!
O ancipitia vitæ humanae curricula! Merito oculi
omnium lachrimis madent, merito omnia gemitibus
planctibusq; circumsonant. Luget aula, gemit ara,
tristis est tota Macedonia, merito undiq; querelæ
& lamentationes ex audiuntur. Scilicet vos ipsi, Ge-
nerosi Proceres, quorum constantiam & animi ma-
gnitudinem tot adversæ res, & sæpius admissa fatorū
iniquitas testantur, in gravissimo hocce casu dolori
succubitis, quasq; lachrimas gravitas vestra frenare
consueverat, eas Patriæ charitas & Munificentissimi
Imperatoris desideria eliciunt. Et sane in alijs rebus
magnanimitatis laus affectanda est, in tam gravi
vulnere autem, tam dubijs temporibus accepto,
immanis durities esset, non flere, non ingemiscere,
non commoveri. Si enim Regiæ virtutes demum
decentem suæ Majestati conciliant fulgorem, tanta
illarū in nostro Heroe occurrebat copia, ut splendore
suo perstringeret, & miraculo rei defixū sisteret spe-
ctatorem. Jam ea incredibilis vis animi ei inerat, ut
quascūq; obvias, & difficultate sua terribiles res acer-
rima ingenij acie expediret, nec deerat impar tantæ
mentis magnitudini consiliū, quo gravissima quæq;
decernebat, illaq; ad felicē exitum producebat. Li-
beralitas non illa quidem, quam ex vulgaribus largi-
tionibus metiuntur, sed majora sæpe tribuens,
quam à Dijs expetuntur, spectabatur, utpote, quæ
& integra regna nonnunquam bene meritis conce-
debat. Neq; Patriæ tantum limitibus hæc Virtus con-

Tet.
ere
co-
in-
era-
paré
nia
isce
nt,
nvis
agi-
on-
ritui
num
ver-
nēti
sar-
ue-
uti;
e vel
age-
mas
ótra
atur
sine
maxi-
nos
s O-
uam
con-



tinebatur, sed & exteris, ac ijs quidem, quos multe
labore devicerat, contingebat. Quippe tanta devi-
ctos prosequebatur clementia, ut multa iis, quibus
bello dempserat, regna reddiderit. Nunquam enim
Divinus ille Heros avaritia stimulatrice bella gere-
bat, aut in iisdem gerendis ei litare consueverat, sed
gloriæ saltem suæ, laudisq; segetem fertilissimam
ac augmentum intendebat, cuius si usto major cu-
piditas fuerit, ut juveni tamen & in tantis rebus ad-
mittenda erat. In ipso autem belli ardore quanta
fortitudo nō inter Reges modo, sed inter illos quoq;
quorum sola hæc virtus fuit, excellens eminebat?
quæ vel nimia propemodum laboris patientia sacrū
ilud pectus exercebat, dum labores etiam vulgares
militis occupans ministeria subibat. Quid benevolū
illum erga militem animum, & admirandam in o-
zones amicos benignitatem dicam, quam omnium
mentibus insculptam nulla unquam oblitterabit ob-
livio? Illam saltem veneror in optimo Rege pietatē,
qui cum ad summa rerum fastigia elatus, cuncta sibi
subdita videret, Parentibus suis subjectissima, quam
multi detrectant, promptitudine subditus esse non
crubuiç, tantaq; observantia eos coluit, ut & matrē
sepudiata, omniq; auxilio destitutam non deferu-
crit, & die suo defunctam immortalitati consecrare
decreverit: Patrem autem acerrimè sit ultus. Ne
autem silentio vitam transiret, perpetuæ, quam qui-
dem vix capere ætas ejus poterat, solertia addictus
nunquam nil agere volebat, sed dum à militaribus re-

bis

bus vacaret, mox alijs intentus vel literis applicabas
animum, vel frænum inicere tentabat, quibus inte-
gerrimus quisq; sæpe definitur, voluptatū illecebris.
Neq; enim putandum totius orbis victorem illarum
torpori succubuisse: sed probe norat prudentissima
mens, modum immodicis cupiditatibus ponere,
Veneris usum intra naturale desideriū definire, nec
ulla nisi permissa Voluptate frui. His actibus immor-
talitati consecrare constituerat nomen suum, cum
fatali necessitati corpus eripere nequiret, quā quidē
nunquam formidabat, sed perpetuo ac generoso
contemptu mortem, cuius metus cæteros exanimat,
spernebat. Cujus inexorabile vim, cum & sibi im-
minere jam cerneret, ne tunc quidem eam formidās,
huic moli, quam sine capite ruituram prævidebat,
prudentissimo habito delectu, successore præfecit,
nec prius sibi posthumos honores habendos esse, quā
post regni felicitatem, decrevit. O venerandū caput!
Tūne hoc unum tuæ felicitati deesse putabas, ut post
obitum tuum felix relinqueres regnum? tūne eras
ingens illud prudentiæ sacrarium, quod rebus hu-
manis accommodarunt Dii, ast jam proh dolor! iterum
ad se rapiunt? Vos, mei Cives, quibus contigit tam
cœleste depositum, vos ipsos, inquam, in testimoni-
nium voco, qualis Vobis Rex visus fuerit, cum sú-
ma virtute regno præcesset, & vestram omnium sa-
lutem unice noctes diesq; meditaretur. Instar cœli
erat Regia mens, quod cum intra se Deorum sedē
contineret, extrinsecus lucidissimis sideribus fulge-
bat

A.4

bat, & splendore suo omnem discutiebat vitiorum caliginem, Virtutis autem lucem radianti vigore fovet. Divinissimum ibi cernebas senaculum, in quo augustissima virtutum concio, publico bono consulebat. Publico namque usui patebat divinum pectus, tanquam profudi amoris perennis fons, unde quod quisque in suum lucrum trahere posset, hauriret: Quas quide ingentes dotes si quis & qua mente pensitaverit, facile excusabit nævos illos, qui integerimæ menti obijciuntur. Si enim difficilimum est, & qua mente summam fortunam sustinere, & citius quis blandietis fortunæ luxurie demulcetur & enervatur, quam adversæ & injuriæ impetu posternitur: quis mirabitur, cum & nostro Regi summa ea contigerit, difficulter eā hūc moderari potuisse, cū multis infortuniorum malis indurata pectora requirat, quæ non ita penetrari possint voluptatum stimulis. Non mirū si invenilis Alexandri ætas, (quæ in se lubrica est, & eo facilius veniam meretur, quo proclivior est, in errorem) se diis & quarit, cœlestes honores accersiverit, & talia fraudentibus oraculis crediderit. Mutasset hæc omnia, si quam dij ulterius largiri voluissent, successura ætas, quæ certissimam spem correctioris mentis pollicebatur. Verum invidere nostro Heroi matuorem ætatem irati Dii, eundemque humanis rebus, quas vix stabiliverat, eripuerunt. Jacet jam perculsus atque hinc indeque prostratus florissantissimus, qui olim Macedonum rei constabat, vigor, & omni auxilio destitutus, sine certo regis

se-

regniq; hærede, publicas vires mox dissipandas, quæ
sub uno capite firmissimum suum capiebant robur,
deplorat. O aspera fata! Nuncné optimo Rege spo-
liamur, cum confirmanda demum erat, quæ cœpit
saltem, felicitas? Itane crudelis hostis rapiet, quæ
tantâ fortitudine peperit, magnus Heros? O duram
sortem! o iniquam fortunæ inclemantium! semper-
ne ita perget inconstantiæ suæ documenta edere, ac
quam ostendit, felicitatem successu destituere? Ah!
quanto melius fore videtur, magnas mentes nover-
cantem semper experiri fortunæ, nec ullam succes-
sum spē percipere, quam in medio rerum successu
concidere? Eáne mente invicte Rex, tot gentes de-
vicisti, ut in medio hostium militem & rege & auxi-
lio omni destitutum relinquieres? Eáne mente mili-
tum redditum in Patriam petentiū precibus non an-
nuisti, ut jam hostium præda & ludibrium esset? Sed
quid optimum Regem crudelitatis accuso? provehor
in ejus clementiam & mansuetudinem, quam ad stu-
porem hostes censuerunt. Ignoscit e, ignoscite Re-
gii manes, intemperanti moerori, & veniam date
doloris incogitantiæ, qua abruptus mœstus animus
modū ponere nescit luctui, qui eo magis crescit, quo
lugubrius hostes ipsi Regiam mortem ferunt, cum
jam nec victi à Victoribus in comuni dolore discer-
ni possint. Omnes quippe lugubri veste, detonsis
capillis, non ut Victorem & hostem, sed ut gentis
suæ justissimum Regem maximo desiderio lugent.
Imperio ejus assveti nullum alium, qui ipsis imperet
dignio-

dignorem reperiri posse, unanimi ore magnoque do-
lore ipsimet confitentur. Videor mihi videre ipsam
Syfigambin, astantem video lugubri veste, jacentem
intueor adhuc laceratis crinibus, & miserrimè ex-
clamantem. Ubi, ubi jam sunt felicissimæ illæ manus
fortitudinis administræ? Quis jam nostræ rei aget
curam? Iterum, iterum proh dñior! me captam esse
sentio! Si enim Alexandro destituta sum, omni au-
xilio orbata, nil aliud mihi restare video, quam ut
ipsamet ultima vitæ fila mihi præscindam. Quæ
quidem dum loqui ipsam audio, illam demum veram
felicitatē, illud demum nomen æternitati consecrā-
dum, illam perfectam & excellentē virtutem statuo,
quæ & hostium amorem provocat. Hostis hæc vox
fuit, quid nos deceat, inde videmus. Sed cohiben-
dus effrænis dolor, & quanquam nulla clades huic,
quâ affecti sumus, par ab iratis Dijs excogitari potest,
non committendum, ut pertinaciori luctu gravio-
rem numinis offensam, simili supplicio luendam, cō-
trahamus. Nam sicuti modicæ lachrimæ pietatem
prosifentur, ita ultra mali magnitudinē sævientes,
contumacis impatientiæ crimen habent. Ergo sub
commuui fatorum lege positæ, agnoscite evenisse,
quod aliquando necssum erat, & in commoda vestra
& qua mente ferendo mitigate. Est ea natura ma-
gnorum omnium, quandoquidem cœlestis originis
sunt, fastidire hæc terrena, iisque quo maturius eripi-
, diviniori quasi impulsa stimulo, conficere res
fa... lumique repeteret. Vos quidem diuturnum fru-
ctum

sum ex Rege, forsitan etiam perpetuum, percipere
cupiebatis, ille vero non ætatis se spatio metiebatur,
sed gloria, victorias nō años numerabat, isto omnię
genitum se meminerat, ut multam prius, quam lon-
gam vitam deberet optare, itaq; nil parum duxit, in
quo magnę laudi locus esset. Hinc magnitudinem
eius intuentibus credere licet, tantum virum accom-
modasse Deos humanis negotijs, ut horum forte cō-
pleta, cito eum redderent suæ stirpi. Quod quia hoc
tempore agere ijs placuit, unicum quod restat à no-
bis perficiendū, & tanti Principis, tam felicis Ducis,
tā fortis Imperatoris cōpensanda jactura est, & vices
illius alteri mandadæ. Alio enim Rege ac successore
op̄ esse videtis, qui cōsternatos suorū animos erigat,
metum hostibus incutiat, veteres socios retineat in
fide novos alliciat. Si quos scirem vestrum esse, quos
dissimilia consilia transversos agunt, dicerem eo esse
perventum, ut nemini absq; summo capite certa sa-
lutis ratio constet. Nam istud cogitare debetis, mili-
tarem sine Duce turbam, corpus esse sine spiritu, &
sparsis viribus, ludibrio nos fore iis, quibus universis
timendi essemus. Quid? creditis tot gentes alterius
imperio, ac nomini asvetas, non sacris, nō moribus,
non commercio linguae nobiscum cohærentes, eodē
prælio domitas esse, quo viæ sunt? Regis nostri ar-
mis continebantur, non suis moribus, illo sublato
continuo, continuo hostes erunt. Simul ac paulatim
cessaveritis, aderunt universi, & capti Imperij in-
dignas a vobis poenas expectent, barbara immanitate.

Nil

do-
sam-
tem-
ex-
anus-
get-
esse-
i au-
n ut-
Quæ-
eram-
crā-
tuo,-
vox-
ben-
iuic,-
test,-
vio.-
, cō-
ntem-
tes,-
o sub-
isse,-
estra-
ma-
ginis-
ripi-
e res-
fru-
ctum-



Nil tutò in hoste despicitur! quem spreveris, valen-
tiorem negligentia facies. Præveniendos consilio
tales conatus docuit prudentissimus Rex, & horum
audaciam, qui interregno ad suam libidinem abute-
rentur, matura successoris electione firmissime pos-
se refelli monstravit. Quid dicā traditum annulum,
quo regni obsignare vires solitus erat? Quid etsi non
voce nuncupatū hæredē, tacito tamē judicio electū,
qui curam Imperij gerat. Ita videlicet maxime ne-
cessariam de successore constituēdo curam ubiq̄ do-
cebat. Absit tamen invidia dicto! & liceat hæc pa-
ce vestra proferre qui frequētes monenti assedisti.
Me, Me, inquam, rerum summæ præfecit, ne man-
eam Rempubl: ac viduam sua forte relinquet.
Restituo jam vobis fiduciariam potestatem, & quā-
quam imperium, quod optima fide ab ipso mihi tra-
ditum est, meo jure retinere possem, non extingua-
tamen publicam suffragiorum vocem, nec supprimi
patiar communem salutē privato honore, cum eum
quæstum semper maximum duxerim, quam maxime
vestris inservire commodis. Quod itaq; bonum fe-
lix faustumq; sit, liberis suffragijs declarate, qualem
post hac Rempublicā habere velitis, pluriūm ne illa
an unius gubernari arbitrio placeati in vestra positū
est manu, dum modo memineritis, rectius vos, & ex
Patrio more facturos, si uni patere in animum indu-
catis, & id genus Imperij cuiq; charissimum esse de-
bere, sub quo genitus sit. Si Alexandro similem
queritis, nunquam invenietis; si proximum, quis

mira-

mirabitur Alexandri sanguinem ac stirpem Regiae
majestati convenire? Sextus mensis instat, ex quo
Roxane prægnans est: optandum est, ut marem
enitatur, cuius, Dijs approbantib⁹, Regnum futurū.
Sed ne moram vestris votis injecisse, aut libertati
præjudicium attulisse arguar, ista omitto. Agite
igitur, optimi proceres, initie suffragia, & sine amore,
sine cupiditate, sine odio & invidia deliberate: Haud
facile animo verum providebitis, si illa officient, neq;
enim quisquam omnium libidini simul atq; usui pa-
ruit. Proponite vobis communem Patriam ex nutu
vestro pendentem, & quid super se decreturi sitis,
summā cum cura ac solicitudine, exspectantem: in
vestris dextris jam libertatem, opē, spem futuri te-
poris geritis, ea deniq; erit omnium fortuna, quam
ipsi facietis. Vos Dij immortales, auctores hujus Imperij,
Tuq; Jupiter Ammonie, vos publica voce ob-
testor & rogo, ut eam mentem omnibus inspiretis,
ne cœco & temerario, sed certo maturoq; iudicio ta-
lis successor eligatur, qui lapsa erigat, infirma
corroboret, turbulentia componat,
efficiatq; ut quam gloriam Imperij
accepimus, ad seros posteros
traducamus.

Dixi



ORATIO II.

Sub Persona

P T O L O M Æ I

Contra Roxanes & Barsines Filios pro Aristocratis dicentis, & ad Aristocratiā imperium inclinantis

Habita a

CASPARO FRÖBNER NOB. BORVSSO-

ITane ergo infelicis augurij damnatos, quam o-
mnes metuebam⁹, & ipse præfagiisse visus fuerat
Divus Alexander, post obitū ejus discordia premit?
Itane maxima res de constituēdo Rege inter dissidē-
tes procerum mentes, agitur? Eadem mihi jam vide-
tur sors miseræ Macedonū Reipub. quæ navis inter
medios fluctus constitutæ, à ventis undiq̄ conspira-
tibus, huc illuc agitatæ, ac in vasto pelago absq̄ re-
ctore errantis. Patet jam naufraga Macedonum tut-
ba, affectuum auris, ac incerta pro illorum fluxu va-
gatur, nec ad portum appellere potest, quamdiu hinc
inde abripitur, impetuosis proprij commodi procel-
lis. Semper enim obstant sanis consilijs affectus,
& suomet amore occæcatas metes in diversa trahūt.
Aperire quidem se videtur stationis qvædam spes,
in utilissima Perdicæ adhortatione, quâ ad libertatē
votorum absq̄ affectu dicendorū deliberatores mo-
nuit: Verum utinam & ipse hac integritate usus,
mentē suam dextrè explicasset, suoq̄ exemplo etiā
procul abhinc relegasset affectus! Quod quia factum
nomen

non est, neq; displicitum ipse puto, si eā, quam
commendavit, non nisi liberrima boniꝝ publici stu-
diosissima, in mente ei contradixero. Et quidem dum
contra hunc unum loquor, hujusq; conatus Roxanes
nascituram sobolem sceptro destinātes, confuto, si-
mul & Nearchum pro Barsines Filio locutum refello.
Illane autem soboles Macedonum imperabit genti,
cujus nomen quoq; in Europa dicere piget? Illisne
parebunt Generosa pectora, qui infimo loco nati,
nunquam ad imperandi artem aspirarūnt? Non re-
giā stirpe creta Barsine; sed ex Satrapatum Sangvine
oriunda, nec unquam illegitimo connubio Alexandre
juncta, regio solio repositum videat filium &, quæ
pellis loco habita erat regij fastūs cultores expe-
riatur, terrarum Dominos, Macedonum Cives. Rox-
anes nasciturus partus expectetur, & incertā spe va-
lidissimum imperium fulciatur, atq; in eam tandem
generis obscuritatem, cui ne de parentum quidem
nomine satis constat, devolvatur. Quod nec Mace-
donici Imperij tutelares Dij, nec O. M. Jupiter per-
mittat, ut tam Nobilissimi regni fastigium, in vilissi-
ma ac abjectæ sortis capita, de quorum ortu Paren-
tibusq; dubitatur, ruat. Nihil quippe tam necessariū
in afferenda Regum Majestate, quam Natalium splé-
dor, qui connatam quasi divinitus auctoritatem secū
trahit, adeò ut eādem quasi percussi subditi, diviniū
officij sui monitorem, revereantur & paratisimum
cultum ultro ipsi deferant. Splendidus ille præse fert
majorum imagines, &, qua illi fulserint, ostentat.

Majesta-

Majestatem, proindeq; non degenerem ab hac Vir-
tute animū pollicetur. Hinc & quæ mentis illo oculo
ratione destituta sunt, brutis animalculis observari
illud; nec minori curā regum ducumq; suorum emi-
nentiam ab iisdem intendi cernimus, indeq; nō apū
modo, sed & aliarū augūstiori specie occurunt re-
ctores. Ast quam facilime contemptum incurunt, &
Iudibrio habētur regendi hocce fulcro destituti, nec
firmissimo illo præsidio, quod nativam sui reveren-
tiā subditis commendat, armati? Quippe non serio
cultu eum prosequentur, quem sibi similem, nec in
eminētiori conditōne constitutū vident, sed famili-
ari ejus confortio, quod quidem plerumq; contem-
ptum patere solet, uti satagent. Quod cū ubiq; eve-
niat, tum maxime inter eos accidere solet, qui plebe
majores gerunt animos, & procul à se arcent profa-
num vulgus. Si Macedonum fortitudinem, præcla-
ras res gestas, & magnanimitatē pensitaveris, nō qui
plebeculq; fæcibus adh̄erent, sed qui potius impe-
rent, dignos statues. Rege gubernabantur, hactenus
non nataliū tantum splendore illustri; sed & virtutū
Patriarum avitarumq; emulatore; ac perfectissimā
optimi Parentis Idæa. Quas res sub illius auspicijs
gesserint, quas immanitate barbaras, multitudine
innumerabiles, locis infinitas gētes domuerint, oce-
ano atq; extremis ignotisq; Indis terminatum im-
perium loquitur. Quoties ejus ductu illos ipsos,
ē quibus jam Reges constituendi sunt, vicerint,
ē p̄fūmet devicti fatentur. Et jam illorum torpori
cedent

cedent, quod tanto labore acquisiverunt imperium? qui amplissimo regebantur imperio, jam aut obscuro loco nato; aut sordidae turpitudini parebunt? Quod nec tantis classibus instructi illi reges Darius & Xerxes petiverunt, illuc spontaneo motu inclinabunt? Namque impetrabit hoc superba illa ambitio à liberrimis, si quis adhuc iis libertatis suæ superest amor, Macedonum pectoribus, & quæ hostibus nequibat, jam Victoribus intentabit impotentem dominatu. Difficilimum siquidem est jum-
gum magnis mentibus, viliorum capitum imperio premi; libertatemque suam abjectissimi libidini sub-
mittere. Itane enim à Macedonum fortitudine de-
generastis, comilitones, ut muliebris forte & mol-
lissimis imperiis parere velitis? qui Regum capita
pressistis, nunc satraparum jugo caput estis subdi-
turi? Ideone Europam deseruistis, ut devictos, regio
ornatu splendidos, in patriam reduceretis? quos tri-
umphatores excipere ovans gestiebat Macedonia,
hos ne alienæ potentiæ mancipia spectabit? quæ opta-
tissimo confortio hucusque defraudatae fuere. ut sal-
tem multâ laude ac gloria celebres viderent mari-
tos, conjuges vestræ, num fastidiosæ superbias
culturibus in occursum agentur? Meliorem mihi
polliceor mentem de vestra virtute, commilitonēs,
nec tantâ glorioſissimi Macedonū nominis infamiā,
ingenua & libertati nata pectora promittūt; quin po-
tius eo æquius acceptum iri à vobis, meum cōfiliū
certò confido. Hæc autem mea est sententia, ut se-

B

de

de Alexandri Regia in medio positâ, qui consiliis e-
jusdem adhibebantur, coëant, quoties in comune cō-
sulto opus fuerit, eiq; quod major pars decreverit,
statuto, duces præfectiō copiarum pareant. Tunc
etenim conspirans virtutis harmonia, & prudentissi-
ma ex illa profecta consilia bono publico consulent.
Conservabitur ceu validissimo vinculo patria liber-
tas, & ab omni tyrannidis periculo imunis erit. Neq;
enim certi sumus, si unius arbitratuitam amplissimi
Imperiū culmen concederemus, vestigia cum Divi
Alexandri pressurū. Facile exorbitabit, & dominā-
di illecebris allectus, pro lubitu suo nostræ illudere
tentabit libertati. Nunquam namq; tantam impe-
rij magnitudinem unius industria feret, nec pares e-
tunt tantæ moli sustinendæ unius hominis humeri.
Experiēdo certè didicimus, in partem curarū vocati,
quām arduum & fortunæ subjectum sit cunctum re-
gendi onus, proindeq; cum Alexandro similem pru-
dentiam, solam tantæ molis capacem, imperandi ar-
tē, & infinitas quibus amplificantur cōservanturq;
imperia, virtutes, non in quocunq; Tibi promittere
possis, communi opera sublevanda est moles, quæ u-
nius auxilio niti nequit. Rarā namq; Deorum clemē-
tiā, accommodatū saltem erat orbi, tam fulgidissimū
sidus, quod jam suā forte compleret, repetierunt suæ
stirpi. Ideoq; non speranda nobis, seræq; posteritatī
tanta felicitas, quæ cœlesti hocce deposito nos sit
beatura, & in vasto hocce imperio tot illustribus vi-
ris subnixa, nō omnia ad unum sunt deferenda, nec
unius requirenda ingenijacics, quæ idonea illi suppo-

ditet consilia: sed plurimorum accerendus labor,
qui tam longè disfitas provincias, intra officij limites
contineat, & cōjunctā operā procuranda est publica
salus. Facilius enim etiam gravissimæ quęquę res,
plurimorū accedēte cōsortio sustinetur, dū pari gra-
vitate omnes premunt, & multorum simul cervici-
bus incumbunt. Sic & in rebus corporū robore per-
agendis, utilissimū esse aliorum auxilium videmus.
Sic & providi h̄umanarum rerum conservatores Dij
oeconomicæ rei administrationem, ne difficilis ni-
mium existeret homini, conjugum mutuis institutis
consortijs, sublevarunt. Quod si tam paucorum
capitum moderamini, conjunctum auxilium p̄f fecit
pia Deorum cura, quanto magis sublevamine
hocce opus habebit, & plurimorum industriā admi-
nistrandum erit nostrum imperium, quod non uni-
us domus, nec unius regni, sed tot ac tantarum,
tamq̄ longè dissitarum provinciarum innu-
mera capita sub suo regimine continet. Et quanquā
ex dissensu diversorum ingeniorum discordia metuī
possit, facile tamen hęc tolletur, religiosa Alexandri
memoriā, quę ut indies renovetur, in medio, ut jam
dixi, ponenda erit Regia ejus sedes, cuius autori-
tate facile in ordinem cogi poterunt exorbitantes.
Eādem quippe adhuc, venerandum istud divini cor-
poris receptaculum, refulget majestate, quam olim
p̄f se ferebat, cum eam revereretur totius terrarū
orbis: patet adhuc omnium op̄i prudentissimū istud
omnis auxiliū sacrarium: perpetuum illud erit ma-

numen severitatis illius, quā in ipso illo tribu-
nali effusam seditiosorum militum licentiam co-
ercebatur, & singulos ferocissimè oblocutos severè
notabat; nec subtracta erit una cum corpore Justi-
tia, quam ex divinissimo isto senaculo, omnibus
implorantibus administrabat. Propterea enim pu-
risimo argenti splendore ornatam videmus regiam
sellam, ut & purissimam eam virtutum, quibus
Divinus Heros fulgebat, sedem, quę nullā unquā
imbueretur impuritate nilq; vitiosi traheret, in-
tuemur. Ideo auri fulgor intuentium oculos per-
stringit, ut eam, tanquam constantissimum Regiae
Majestatis habitaculum, observaremus. Nec nisi
Regiam Clementiam denotat, lucidissimus, quibus
picta est, gemmarum splendor. Vivit namq; adhuc,
nec omnino morte extinctus est, Magnus Alexander,
Jovis Filius, sed, corpore saltem oculis hominum
subtracto, spiritu suis praeest, omnia procerum
consilia, ejusdem vigore animaturus. Vos saltem,
commilitones, ne injurij sitis in religiosam divini He-
rois memoriam, cavete, ac divini corporis sellam
eodem omne, quo olim Trojana Civitas, à sua Dea
missum Palladium, devotissimo cultu observeate.
Non dubium est, quin, fidelissimus suæ Majestatis
assessor futurus sit, Deorum jam consortio aggre-
gatus Maximus Imperator. Hæc itaq; mea mens est,
Cives, quam si sequi velitis, felicissimus mihi videbi-
tur Reipubl. status. Vestro enim concreditū est arbi-
trio, aut stabilire libertatem vestram hodierno die,

&

& , quod nostræ debetur virtuti, regnum capessere; aut alienæ potentiae illud mancipare: sin aliter, quam mihi, de publicâ salute vobis visum fuerit, saltem, quæ aliâs saluberrima sunt, cogitate, ac o - ptatissimo eventu deliberationis hanc solen - nitatem finite.

DIXI

O R A T I O III,

Sub Persona
ARISTONI,

Contra Aristocratiam dicentis, & Perdicce administrationem Regni concedendam, persuadere conantis,

Habita à

IOHANN E CASPARO A KALCKSTEIN N: B:

Quid hoc tandem rei, Macedones, tam subito, maximi quondam, potentissimiq; Regis, omnē memoriam excidisse? Tantane torpedo animos vestros invasit, ut & vivi virtutem jam nesciatis, & mortui spernatis consilium? Hoccine ipsi, sumorum inter vos laborum, constitutum præmium est, ut non modo immortalitatis fide eum, quam operum magnitudine probarat, defraudare; sed & preclarissime gestarum rerum oblivionem, contraria regni constitutione, inducere annitamini? Heu caduca nimium hęc atq; fragilia, puerilibusq; consentanea crepus dijs

B 3

dijs, quæ vires atq; opes humanæ vocantur? Affluunt subitò, repente dilabuntur, nullo in loco, nullâ in personâ, stabilibus nixa radicibus consistunt. Itaq; blandiuntur externe speciei lenocinia spectantium oculis, & plus pollicentia in fronte, quam in recessu habent, grande sui pretium mentiuntur: at si penitus introspicias, quid nisi dant fumum ex fulgore? Nempe inanes susurros ventorum superante vanitate, maligni maris fallacem malaciam levitatem, sicas gerras vilitate. Dij prohibeant, Macedones, uester Alexander multoties spectatam constantiam nequicquam in suis desideret, vobisq; novarum rerum cupido, ac non paucis male tentata mutatio, antiquiora habeantur amore patriæ ac in Regem pietate: quin vos in id incumbitis, ut amplissimum Imperium, quod felicibus Regis auspicijs & impigro ductu conditum, uestra virtus auxit, consiliorum sanctitate firmū ac imobile posteris tradis. Certe tradetis, si saluberrima monenti Aristono obsecundare & quis animis dignati fueritis. Evidem vellem, commilitones, sic fata tulissent, ut nobis potius iussa capessendi officium maneret, quam dira foret deliberandi necessitas, ac res nostræ quo auctore ire feliciter cœperunt, hoc porro consultore regerentur: nunc tantum abest, ut me importuna honorum scis, vel alios obtrectandi amor ad dicendum impulerit, ut communi stimulatus salute processerim, cuius & apud me plurimum valet auctoritas, & apud vos omnes peræque valere debet. Utiq; obtine-

obtinetis antiquum, & quo animo fuistis in Patriam
rebus secundis, servatis eundem adversis. Nota ipsi
est, Macedones, vestra integritas, noti mores,
nota constantia. Cui porro, qui modò Alexandrinus
exercitus nomen audivit, vester candor, prudentia,
virtus non sit auditus? Quò magis etiam excusandi
estis, si vos exactissime alias negotia perponderates,
ast nunc nimiā præpeditos ægritudine, fugerit.
Quæso, ignoscite libertati, dicam confidentius,
quoniam audeo quædam, vestra fretus dignitate,
aperite confiteri. Nimium aberrare mihi modò vi-
demini, quam vel vestras sapientia ferat, vel conce-
pta de vobis hominum existimatio. Quanquam eo
acumine ingenij estis, ut quævis ardua cogitando
assequi ijs viribus, ut bene meditata facile exequi
possitis, tamen ingens hic mœror, morte Regis
perceptus, ceu caligine offusa, omnem vobis salu-
taris consilij adimit prospectum. Quippe conturba-
tus dolore animus, dum sibi non constat, aut reme-
dia refugit, amissa requirit, præsentibus indigna-
tur, ingruentium malorum cumulum declinare non
usque quaç sustinet. Quid ergo? Solus ego in
publico hoc confessu luctus securus, ac defæcata
morte ago? an, cum id vel cogitatu nefarium ac
abominandum, unus omnium tamen, ruinam mina-
tes res firmandi, veram viam insisto? Non ita istius
laudis sum cupidus, ut alijs eam præceptam velim;
Et vos, q. miserandæ è nostro Rege reliquæ! nimis
altum vulnus estis huic pectori, quam ut cùiquam de
scendam

sensu doloris cedat, majoris cladis æterna monu-
menta, quam quæ longus temporum tractus delere
valeat. Quanta libet, illius devincta beneficijs, uni-
versa gens dedicet delubra, consecrēt aras, erigat
statuas, celebret ludos, certet omni pietatis officio
testari defuncti desideriū, victum tamē suum studiū
fateatur, nécesse eīt, nullo non genere ipsius meri-
torum. Sed avertite à conspectu tantorum malo-
rum mentes, ac paululum commodity pacatos ani-
mos, ut mecum redeatis in memoriam novissimo-
rū, instar oraculi, moribundi Alexandri verborum;
tanto citius secuturi consilium, quanto rem planio-
rem sum propositurus. Erat quarta dies, exinde ac
decumbētē vis morbilectō continebat. Exercitus,
sive quod insidijs Regem periisse suspicaretur, idq; celari crederet; sive desideriū ejus ferre non posset,
ultimam videndi copiam efflagitavit, itaq; ex Regis
mandato intromissus est. Cum omnes lachrimarent,
ipse non modo sine lachrimis, verum etiam, sine ullo
tristioris mentis argumento, quosdam impatientius
dolentes consolatus est, adeò, sicuti in hostem, ita
& mortem invictus animus fuit. Ad ultimum à mi-
litibus persalutatus, dimisso vulgo, fatigata mem-
bra, velut omni vitæ debito liberatus, rejecit, ac
propius adire jussis amicis, illisq; quærentibus,
quod vocem deficientem viderent, quem regni hæ-
redem faceret, eum respondit, qui esset optimus.
Cæterūm prævidere se, dicens, ob id certamen,
magnoſ funebres ludos parari sibi, atq; ideo præ-
cisus.

cisurus sinistram turbidorum interpretationi, omnem
ansam calumniandi, mentem suam explicuit, non
verbo; sed facto. Perdiccam, tradito annulo, desi-
gnat successorem, cuius electionem, quasi unice ex-
pectatam, confestim insecura mors, suo calculo
approbavit. Quis est usquam, Macedones, qui no-
dū in scirpo quærat, & in tam clara re, anxiam delibe-
ratione utatur? Debetur hæc veneratio morienti-
bus, ut illorum edicta, ceu oracula, quam sanctissi-
mè observentur, quod emigraturæ hinc animæ,
pliores quasi suo genio, certius præsagire soleant.
Quid mihi de vobis in mentem veniat opinari? Num
ingratos vos judicē, quod optimè commodis vestris
prospicientis, monitum in dubium vocantes,
hac contumelia afficitis? An temerarios, quod desul-
toria levitate, modo hujus, modo illius estis senten-
tiæ, aliud stantes sentitis, aliud sedentes? Quo no-
mine veniatis, incertus sum. Impios dicam, pollu-
tis ceremonijs; ac injurios in eum, cuius sapientiam
postquam ubique salutarem merito venerati estis, post
mortem suggillare non veremini. Alexander sanè,
cum de successore rogatus esset, privatas utilitates
publicis condonavit, ac prorsus, quasi nefas esset
viro forti alium, quam virum fortem succede-
re, aut tanti regni opes alijs, quā probatis, relinquī,
oblitus necessitudinum, neglecto Filio Hercule,
neglecto Aridæo Fratre, Roxanes Uxoris partu post-
habito, dignissimum Hæredem nuncupavit, quem
ne casu fortitudo magis, quam judicio, elegisse ar-
gueretur

gueretur hunc ex omni amicorum cohorte, Perdicci
designavit, inter assidentium procerum, morienti
præsentium, accuratissimo habito delectu. Iuberem
macte animi Perdiccam esse, hoc fructu virtutis,
quem summum à Rege tulit, etiam si nullis præterea
factis se commendasset, quorum tamen si præconem
agam, præsertim apud gnaros, & plerosq; vestrum
spectatores, obrutus laudum cumulo, desperato
exitu, stupebo. Nam primum, quanti animi est,
eum, paternis opibus contento, liceret, per otium
corporis, expectare obscuram, & ignobilem sene-
cuteam, virtutis amore extra patriam trahi? Itaq;, simi
cum plurimum acceptum fortunæ ferat, plus sua
naturæ bonitati debet. Pacis ille artibus, an militiæ,
major sit & clarior, jure quis ambigat: Plurimum
audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij
inter ipsa pericula ei est; nullo labore aut corpus fa-
tigatur, aut vincitur animus, caloris ac frigoris pa-
cientia par. Cibi potionisq; desiderio naturali,
non voluptate, modus finitus; fatigato humus cubi-
le: vestitus nihil inter æquales excellens: liberalis
in primis, adituq; facilis: cum fide, quæ illi in Re-
gem præcipua fuit, summum amicitiæ gradum me-
merit, nihil ex fastu Regio assumpsit: felicitatem,
satis superq; tot, de triumphatis Indis, erecta tropæa
loquuntur, qui, dum rigida cervice servitutis jugum
subeuntes, subinde victorem lacebunt, proprijs cla-
dibus alienam gloriam in majus extulerunt. Jam,
quod primo loco dicendum erat, illius periculosis-

simi ad ARBELA prælij, profligata vls, maximam partem, secundum Alexandrum, ipsius opus est, fecitq; suum beneficium, raptum isto certamine, Asiae regnum, cui nunc Regis fato admovetur. Is mihi assideat Reipublicæ gubernaculo, ac doctâ manu moderetur rerum habenas, cujus imperium mediocris potestas laudatissimè exercita, commendet; non indignum hunc credam altiori fastigio, qui parendi juxta, jubendiq; gnarus, & populo jucundus, nec suspectus imperantibus, utrinq; amorem prudenti temperamento provocavit. Nam, qui cœco fortunæ impetu, ex sordium suarum latebris, subito evehuntur, tribus Anticyris insanabiles, libidinem suam legem habent, ambitione Rempubl. pervertunt, ferroq; conantur stabilire potentiam, quam favore civium melius rei inuissent. Sic assuetum caligine oculum, repentinus offendit Solis splendor, & ipsa lux pro tenebris est: contra solidissimè in summis consistit, liber omni præcipitio, quisquis graduum successione, non temerario saltu, illuc evaserit. Facile intelligitis, grandibus Perdicca meritis, non restare condignius præmium, quam imperium, & res vestras, nisi ab hoc, à nullo alio melius feliciter administrari posse. Venio nunc ad Ptolomæi sententiam, quâ pugnat pro optimatibus, & horum imperio prospera quæq; ominatur: Quæ quam non officiat solum, sed & indecora sit, quam minime ferenda à vobis, vos, quorū hæc providere interest, facio judices. Næ illi falsi sunt, qui majoris liber-

ta

tatis spem sub proceribus faciunt, quæ nulla major est, quam sub Rege. Nam & Reipubl. sunt suæ leges, quibus obtemperes; & dominorum multiplicatus numerus, auget serviendi vilitatem. Insuper Regem, ejusq; vitia, mors saltem de medio tollet, poteruntq; à successoris indole sperari mitiora; corrupti senato labem non eluit unius cuiusq; mors, sed afflitti semel mores, in deteriora semper labuntur, donec publicam salutem suo casu obruerint. At maturius publica negotia, inter multos, quam ab uno expediuntur. Quasi prudentum sententijs Reges uti non soleant, & iste procerum cœtus, sæpe transversus non agatur, dum quisq; proprij commodi studio laborat, aut amore in suos, aut in pares invidia. Quis namq; spondeat unanimem tot capitum sensum? Ut ut inter plures conveniat, erunt, qui se aliorum suffragio superatos indignabuntur, ac impatientia rejecti consilij, alent tacitas inimicitias, quas cum Reipubl. dispendio exerceant. Atheniensi populo, discordiam ducum, maximæ stragis, extitisse causam ferunt. Quippe dissensione imperatorum factum est, ut exercitu, quem specie auxilij, ad occupandam Siciliam, miserat, occiso, ipse, ex amplissima spe imperij, conjiceretur in extremum discrimen libertatis. Aspice, ægre se colligentem ab simili clade, Græciam. Novissimè, qui in ea imperarunt, Thebani fuerunt. Ji secundam fortunam, imbecillo animo, ferentes, superbe accusatis, ad commune conciliū, Phocensibus, crimi maxime

me
ciu
pot
ta e
tate
The
in f
feli
Del
Gra
fe,
mn
ta i
mul
hæc
med
Pto
leg
mu
re c
con
obs
qua
qui
viu
ma
ner
aux
sed

me dederunt depopulatam Bœotiam , cumq; iudi-
cium exerceretur arbitrio eorum , qui omnia tum
poterant , mulctam indicunt tantæ pecuniæ , quan-
ta exsc̄lvi non posset . Hi necessitate , simul indigni-
tate rei , accensi , bellum parant , quæfitisq; odio
Thebanorum , viribus præter spem resistunt . Abit
in factiones divisa Græcia evastantur diutinâ pace
felices terræ , subvertuntur urbes , neq; præstat suos
Delphos tutos à prædâ Apollo , id deniq; patiuntur à
Græcis Græci , quicquid nec Xerxes videretur opta-
se , nec ante ærumnarū finis , quam Philippus Rex o-
mnia , nomine Principis , sub imperium accepit . Tan-
ta incommoda affert militaris dissensio procerum ,
multò arcenda diligentius a summa Reipubl. , quod
hæc , vel infesta , periculosior est , vel magis adversa
medentum solertiæ ! Etiamnè ultra molestus pergis
Ptolomæ? Etiamne , privatarum rerum mentione
leges ferre publicis regnis præsumis ? Probo in illis
mutuas operas (quid vis amplius ?) & ita fieri debe-
re concedo , quia necessum est : horum longè dispar
conditio , quandoquidem unius jussu , & plurimum
obsequio magis utimur . At vide , quam ista tua tela ,
quæ nobis feriendis destinas , non tam ne tangunt
quidem nos , quam in autorem retrò delata , te gra-
vius percellunt . Illa in conjugem mariti potestas ,
majorem , opinione tua , absoluti Imperij imagi-
nem repræsentat , quod si sublevandum est aliorum
auxilio , non hi in consortij paritatem sunt recipiēdi ,
sed superiori potestate invitabuntur , ad subvenien-
dum

Dū sumō capiti, ne unius humeris sustinenda sit tan-
ta moles. Parce verò istis de sella Alexandri, cuius
majestate rectum iri proceres, nunquam persuase-
ris. Oberrat ferè ad huc, recenti de morte, ex-
tremus halitus Regiis labiis, sollicitosq; nos persol-
venda justa habent, vix tamen, ac ne vix quidem,
eoēcentur turbæ, & ægrè cedit sacrilegus furor,
præsenti in funus reverentiæ: in simili autem o-
mnium ambitione, in militaris seditionis licentia, in
vulgi insaniâ, quotus quisq; respiciens hoc solium,
corporis receptaculum, eō movebitur? Negant, ne-
gant humanæ mentes, externis hisce posse se intra
officij terminos retineri, redamant multorum vitia,
longe luxuriatura proterviùs, si præsertim, cum
tempore, prout res sunt mortalium, regis etiam
memoria obsolescat. Quæ tandem ista Macedonum
noxa? quod tale ipsorum meritum, ut hujus per-
versitatis damnes, scilicet tributuros honorem re-
gali solio, quem verbo negaverint? Admones, regiæ
vocis mentione, quam is infensus huic R. eip. generi
pro quo tantopere defudas, in vivis extiterit. Quippe
Dario, ante ultimæ aciei aleam, nuptias filiæ, fili-
umq; obsidem tradente, ac parte imperij reliquum
redimere conāte, non accepit conditionem, sed, si
secundus, refert legatis, & non par mihi vellet ha-
beri, facerem forsitan, quæ petit. Cæterum nec
mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa
capita regnum, salvo statu terrarum, potest habere.
Proinde aut deditiōnem hodie, aut in diem crasti-

num

rum bellum paret. Dies nulla intercessit, quin vñ
ctū fugatumq; Darium, & locum victori dantem vi-
derimus. Proinde in hac voce, tanquam Apollinis re-
sponso, subsisto, hac contentus sū, hac confido fore,
lætissimo mentis augurio, ut, Macedones, hic quoq;
ita, ut semper, regi debitæ venerationis memores,
rata mandata habeatis, & quæ is novissima dedit,
nec pluribus quam uni, nec alij, quam Perdiccæ, ex
Regis voto regnum concedatis. Ergo age, Perdic-
ca, & epone meritæ manui annulum, aude tandem
contemnere alienæ fortunæ ægris oculis adversan-
tem invidiam, præcipita ingratas moras, ac succede
imperio, ad quod te Deorum numen, regis voluntas
& tua virtus vocarunt. Nec de civium favore dubi-
taveris. Comitabitur idem regnantem, qui priva-
tum extulit: imò certo experimento major indies
ac manifestior, in parte felicitatis ponet jacturam,
qua & actum fuit ut afflictæ res firmius resurgere
possent, & jam nunc agitur, ne persona ma-
gis, quam nomen, Regis mutatum, jure
nobis videarut.

Dixi.



ORATIO IV.
Sub persona
MELEAGRI

Perdicæ Imperium Dissuadentis,

Habita

¶

CASPARO A LESGEWANG N. B.

OMiseram! O infelicem Macedonum gentem!
quæ minime jam eam fatorum benignitatem
experitur, ut, quo Autore ad summum felicitatis
culmen evecta est, eo mortis crudelitate extincto,
in pristino flore persistat. Hæccine erat cruenti,
prosperè tamē peracti, belli victoria, ut Parente suo
orbata Respub. nostra, post eundem, Regum omni-
um maximum Victorem, singulis populis terrorem
incutientem, vilissimorum capitum regimini sub-
deretur? Hæccine erat causa, cur tam maturè res
eius ad summam altitudinem eveherentur? cur
tam multarum gentiū domina existeret; cur fama
eius astra penetraret, cur immensus eius ac infini-
tus propè animus, brevi tempore Orientis & Occi-
dētis terminos intra se complectetur, ut graviore
postmodum lapsu in execrandam perniciem rue-
ret. O Dij immortales! vos obsecro, vos obtestor,
quæ delicta in miseris nostris hominibus animad-

ver-

advertisit, ut adeò jam eorum ruinam pro-
moveatis? Ita demum certissimo eventu,
quæ cito fiant, cito perire, maximo noctro
(proh dolor!) cum damno experti, extremam ruinā
nobis ob oculos versantem, non immeritò exhorre-
scimus. Ideone tantum solis splendorem oriri nobis
voluistis, ut lugubriore caligine nos affligeretis?
Ideone tam felicibus auris excellens Macedonum
Regnum provehi passi estis, ut turbulentiore motu
quassaretur? Ideone tam celeriter illud succrescere
sivistis, ut citissimæ hyemis frigore enecaretur? Sed
quid dico? quæ perversa opinio pectus invasit?
Absit, absit, ut tam male ominer de autorum, con-
servatorumq; imperij nostri benignitate. Tu vero
orbium cœlestium rector, Jupiter Maxime, ignosce,
quæso, quod te crudelitatis in proprios liberos accu-
sando, tantopere tuas aras, tuaq; sanctissima templā
violaverim. Quis enim unquam sibi persuaderet, te
eius natale solum, quē ipse in his ferris progenuisti,
quemq; prorsus Heroicis ac propè supra naturalibus
virtutibus condecoratum, mortalium omniū Domi-
natorem constituisti, jam hostium ludibrijs velle ex-
ponere? Proinde erigite animos. Macedones, quan-
doquidem is, qui tantas res, filio suo duce, vos pera-
gere voluit, nūc etiam, postquam eum luminis instar,
inter sidera cœlestia effulgentis mortalibus propo-
suit, vos non derelinquet, imo certissime omne eum
auxilium vobis promittere cerneretis, modo ipsi non
propriā culpa malum vobis accuseretis: id quod sa-

G

tis

273
tis jam in consultis deliberationibus egisse videmini,
dum non tantum ferre potuistis; sed etiam omnibus
viribus eo contendistis, ut tanti regni fastigium
in vilissimos quosq; humeros ruat. Me certe, qua-
ntum in me positum erit, nunquam in abominandos
sententiae vestrae scopulos deduci pariar, quin potius
eo torus enitar, quo abducere vos ab ijsdem possim:
idq; sine ullo dubio me impetraturum spero, si non
minorem attentionem meis, quam aliorum, consilijs
adhibueritis. Evidet, si sola nobilitatis dignitas
sufficeret, ad Imperij gubernacula occupanda, fa-
cile ab Aristoni partibus, Perdiccae fasces regni
nostris tradendos esse volentibus, starem: utpote,
qui non modo ipse est nobili sangvine originem
duxerit, sed & propriâ vittute bellica, genus suum,
ut refloresceret, quasi animaverit. Sed aliud, lon-
gè majus obstat: regius scilicet sanguis ad id requi-
ritur. Quandoquidem enim reliquæ gentes omnes,
non, nisi ex Regia prosapia oriundos, Reges suos
creaverint: nostrumne Regnum, præ cæteris velut
gemma inter lapides resplendens, Regia stirpe ex-
stincta, ad Proceres transferetur: exq; illis ei subji-
cietur, cuius superbus animus impotenti dominatu,
non veluti civibus, sed tanquam servis, nobis im-
peraturus sit? Non opus esse puto, pluribus vobis
elatam ejus frontem velle depingere, præsertim cū
jam eo tempore sufficientissime hanc cognoveritis,
quo (eo usq; arrogantiæ progressio erat) reliquis oni-
bus, liberiori Regis alloquio, prohibitis, solus sibi
aditū ad eandem servabat. Et quid mirū si blanditijs

ejusdem occupatus Regius animus, in speciem con-
vocatis, ad moribundi lectum, Proceribus, impe-
rium, quasi accuratissimo delectu instituto, ei
concesserit, qui diu ante id ipsum privatim e-
mendicarat? Execranda quippe adulatorum mens
ita formata est, ut cardui amoenissimi floris instar,
externo aspectu, fragrantissimi germinis speciem
præ se ferat; Vel sicut varijs coloribus tinctum vi-
trum, nobilissimas gemmas sæpius mentiatur; & ut
serpentes, extrinsecus venustrissimâ pelle tecti, in-
tus tame latens venenum abscondant: ita, inquam,
illi externa simulatæ pietatis & fidelitatis specie
fucati, facile lenocinijs suis subjugare sibi Regum
animos possint, quodq; venenum intus fovent, tam
egregiè disimulent, ut prudentissimus quoq; hoc
animadvertere nequeat. Ne longius abierimus,
hujus ipsius adulatorum Principis exemplum satis
abundè id comprobat, qui svavissime blanditijs
suis, sapientissimi etiam Regis animum, sibi omni-
um maxime addictum reddidit. Nec id difficulter
perspexit enim homo astutissimus, facilium man-
suetudineq; plenum regium pectus, hinc majori fu-
ducia pestilentissimū propositum executioni man-
dare potuit. Quod tamen, Dive Imperator, neu-
tiquam ita à me dictum volo, ut beatos tuos manes,
nunc in campis piorum, post varias exantatas hu-
jus seculi difficultates, æterna incomparabilisq; cum
jucunditate versantes, idcirco culpem. Id uti sane
dicere abhorreo, ita nemo omnino nescit, re, quā-

C 2.

diu

diu ad clavem Reipubl. nostræ sedisti, omnibus lu-
men animi, ingenij, consilijq; semper demonstrasse.
Diffiteri nemo potest, nullam fore imposterum tam
barbaram, aut tam longinquam nationem, quo
non divinorum gestorum tuorum, ac beneficiorum
in nos collatorum, fama sit perventura; nullas tam
ingratas literas, quæ tuas laudes non expressuræ;
nullam tam surdam posteritatem, quæ præclarum
tuum nomen non auditura. Qui ergo ego eò ad-
ducerer, ut sapientissimum imperium improbem?
Illud unice saltem contendo, raro quoddam repe-
riri bonum, quo non abuti queat humana malitia:
idq; exemplo suo hunc confirmasse, dum Regiâ tua
Clementia ac mansuetudine, & in proprium, &
Reipublicæ detrimentum abuti veritus non est.
Quæcum ita sint, anne hoc in casu Regio mandato
obtemperandū, dū nō ultrò; sed cōtinuis adulatoris
precibus defatigatus, coactusq; quasi, imperij mo-
lem sustinendam, indignissimo huic imposuit, cen-
setis? Cum licet maximè deliberato animo cōsiliū
hoc tulerit, hoc unico obsequium nostrum non ob-
stringeretur. Verum enim verò, (iterum dico) non
eam ob causam hæc à me prolatā sunt, ut conte-
nnere tuam autoriatem, Regum maxime: videar
minimè minimè gentium! Dij prohibeant, ne tam
malæ cogitationes animum turbent, ab alia cer-
tè intentione profectum hoc esse deprehendes,
quisquis dextram verborum meorum interpretati-
onem benigne admiseris: proindeq; facile me à ma-
nibus

ibus tuis veniam impetraturum spero, modò affectum, quo in his terris patriam prosequabar, non dum mutasti. Hujus, hujus unica salus, cui quanto per addicti debeat esse omnes, sepius ex proprio ore audivi, me ad hoc impulsit. Unde etiam celebre tuum institutum natum, quamdiu ex superiorum Clementia te Rectore nobis uti licebat, quando nunquam tam obstinatam fovebas sententiam, ut non amicorum & Consiliariorum persuationibus, perversam hanc deprehendens, eandem linqueres. Ergo si superstite adhuc te nobis, hoc tibi probabatur, cur non & nunc, cum mentem tuam mutare non liceat nobis, eodem ordine procedamus? Sciebat scilicet Heros eternę memorie, eas duntaxat florere Respubl. posse, in quibz s̄ salutaria consilia primas tenerent. Quod quid m̄, utinam, utinam considerasses Perdicca, non ita obstinatam pertinaciam tuam propugnasses, sed salutari bus a iorum consiliis eam submisisses! Utinam adhuc ad meliorem frugem te reciperes, consiliumq̄ mutares, ut presentissimum Regni nostri detrimentum & immutabilis nominis nostri infamia, que ante oculos versantur, abolerentur! Quod ut fiat vos, Superi, Patrię protectores firmissimi, efficite, quandoquidem absq; vestro adjumento, nil ultra tentare valemus. Vos metipso consulo, Viri Macedones, quis unquam talia consilia pro procuranda Patrię salute, audivit, qualia hic inter Patricios, primum locum sibi vindicans, non dudum tulit, partim

C 3.

nimi-

nimirum Roxanes exspectandum esse, qui tam ampli imperij clavum gubernare debeat? Scilicet egregium est consilium, & dignum, quod à tali viro proficiscatur. Sed illeceat mihi pauca quedam ex te querere. Quid tandem erat causæ, cur pro Roxanes partus successione tam acriter, tanquam pro aris & focis, pugnares? Illudne certò tibi persuasum erat, vivam problem luce potituram esse? ergo fieri non poterat, ut ea (quæ plurimorum fata sunt) inter matris claustra, luce, quam nondum cognoverit, privetur? Et nosne ideo, tam incertis casibus, tanti regni molem superstruemus? Quæ hæc foret Macedonum temeritas? Quid, si contingaret, ut sequioris sexus ederetur soboles, dignamne Macedonum fortissimam gentem judicares, molli ac imbelli ferendo muliebri imperio? Nunquam illud præstabis, ut, cuius regimen omnes ferè in orbe terrarum gentes respuunt, nobis obtrudas, nobis, inquam, Macedonibus, quorum ipsum nomen, ob heroicas præsertim bellicasq; virtutes, singulis territoriis incutit? Excutiemus certè jugum illud, problem fœmineam, ex ea imprimis matre prognata, cuius ne masculam quidem, ob sanguinis ignobilitatem, sceptris admovendam, sapientissimè Ptolomæus probavit, si ea, quæ protulit, recenti vobis memoriæ adhuc inhærent. Et nondum stultum videtur, tam diu temeraria spe fretum, Rempubl. nostram sine capre relinquere, præsertim, cum hujus præficiendi necessitas, etiam citra verbum additio-

nem,

omnibus pateat : Chorū moderatorem (ut paucis
multa complectar) si auferas , nequaquam modula-
tus ordinatus existet ; Phalangem militum si Duce
prives , nullo modo ingens illa acies ordinariē pro-
cedet ; Gregi si pastorem abstuleris , cunctus disper-
getur & peribit , Navim si gubernatore orbes , pes-
sum eat necesse est : Ast quid nunc de Rege senti-
endum ? Hic est in Choro populi sui Princeps , sine quo
harmonia in eo conservari nequit : Hic est populi sui
Dux , contra vim & factiones hostium quorumvis
eūdē defendens : hic est in navi Reipublicæ guber-
nator , intra quasvis procellas à scopulis perniciei
candem prohibens : hic est deniqꝫ gregis sui Pastor ,
pascens eum , inqꝫ decentem ordinem cogens . Ipsi-
met ergo videtis , quām subitā festinatione , in con-
stituendo Rege , opus sit . Et præfens etiam Perdic-
ca , pro innata sua sapientia , hoc animadvertisit ,
à qua unicum hoc salutare prolatum fuit , non dif-
ferendam Regis creationem . Cujus quidem rei
causæ inquirendæ diligentius incumbens , aliam
nullam deprehendo , præterquam eam , quā sæpius
etiam ab invitis veritatem dici constat , quod &
huic accidisse , mihi omnino persuadeo . Ecquis enim
non videt , quam minime verba cum factis congru-
ant ? quippe dum promovendam Imperatoris con-
stitutionem asserit , maximam interregni causam
præbet , interregni inquam , cuius quanta sit . pe-
stilias , tot regna , publici sui status interruptione ,
etiam me tacente , loquuntur , damnumqꝫ suum in-

de deplorant. O cœcum! tenebris plus quam Cim-
merijs offuscatos Perdiccæ oculos, utentes Per-
dicca, hæc qui non cernit! itnò maximè cerneret,
pro singulari sua, quâ plurimum, pollet prudentia,
nisi regnandi libido caliginem offudisset menti. Sed
amor forsan Patriæ ad id ipsum stimulavit? Scili-
cet, quis aliud sibi persuaderet de tam spectabili in-
patria viro, ni adeò in propatulo ejus cōsilium foret,
ut quilibet, cui perspecta est ejus indoles, hoc i-
psum notū exploratumq; haberet. Ardor, ardor re-
gnandi, tantâ ambitione pectus e jus inflammavit,
quæ dum semel animum invasit, dies noctesq; i-
psum urget, ne prius desistat, quām cupiditatibus
satisfecerit. Illud verò cum directe, absq; sumâ
difficultate, obtinere nequeat, obliquâ saltē ir-
reptione rapere ad se conatur, dum natæ proli Ro-
xanes, ob minorenitatis regno gerendo ineptæ
imbecillitatem, curator ipse præfici volet, sicq; sub
specie tutelæ, regnum occupare animus est. Vi-
dete, Macedones videte, inquam, quam fallaces
sint hominis cogitationes, quām subdola ejus in-
stituta. Nihil enim publica salus, nihil vestri reve-
rentia & timor, nihil horum ora vultusq; move-
runt, quò minus tam turpia vestris auribus profer-
ret. Quousq; ergo tandem Perdicca, abutere
patientia nostra? quam diu nos etiam perversæ per-
suasiones tuæ eludent? quem ad finem sese effre-
nata jactabit ambitio? Pateréne tua consilia non

ses:

im-
Per-
ret,
tiā,
Sed
cili-
li in
oret,
c i-
re-
avit,
q i-
tibus
ūmā
n ir-
Ro-
eptæ
sub
Vi-
laces
s in-
eve-
ove-
fer-
utere
per-
effre-
a non

sentis? constrictam omnium horum conscientiā teneri ambitionem tuam non vides? quid consilij ceperis, quot Procerum corruperis, quot potentiae metu terrueris. ut facilius eos tibi consenserentes redderes, quem nostrum præterire arbitraris? O Di⁹ immortales! palam sunt eorū simulacra, qui sententiam Perdiccæ pedibus suis ingressi sunt, his tamen, præterquam vi armata, obviari nullo modo potest. Quod cum secus jam fieri nequeat, quid nos impedit, quo minus extrema adversus inpotentem Perdiccę dominatum tentemus? Hunc cinē simulatorem, hunc crudelē Tyrannum Regno prefici patiemini? Hunc cīne tantorum bonorum possessorem constituetis? Eripite corpora vestra ex vinculis servitutis ejus, cui subiici vilissimi populi meritō fastidirent. Proprios credite liberos, posthac vos execratos, ni servitute tam acerba ipsos liberetis. Quocirca precor vos, per eternam memoriam Alexandri, vindicate ab hoc dedecore nomen gentemq; Macedonum, & quæ bona vestro labore, vestro sudore, vestrā virtute parta sunt dextrè asservate. Nolite concedere, ut procerum luxurie consumantur, quin potius ipsi met Regnum regiasq; ejus opes diripite, ac in vos, ad quos unicē pertinet, æqualiter distribuite. Ego, quod mearum partium est, fidem ac integratatem meam vobis polliceor, meq; in his parandis Ducem vobis offero. Me intuemini, me sive fortitudinis,

Sive cuiusquam alterius virtutis exemplum fuero,
imitemini! Sic certè id, quod vestrum est, nullà vo-
bis injuria abstrahi usq; ad extremum vitæ
spiritum finetis.

Dixi.

O R A T I O V.

Sub Persona

CUIUSDAM è Macedonum Proceribus
INNOMINATI, Pro successore Ari-
dæo, Alexandri Fratre dicentis,
Habita

ā.

JOHANNE ERNESTO à RIPPEN. NOB. B.

Quo tandem ruitis miseræ montes? Itane ergo
semper discordia & sanguine nitetur Macedo-
num res? Quid opus est hisce armis, belloq; in
viscera ipsa converso? Quâ ratione tam luctuosissi-
mum, & plus quam civile bellum inter vos excitatis?
Quis urbium obsidiones, strages, incendia omnia
hinc eruptura sine dolore commemoret? quis sedi-
tionum & discordiarū fibras evellet? An ulla potest
esse in patrandis sceleribus, in eversione libertatis
civium, in abolitione juris humani atq; divini, in
internecione hominum innocentissimorum, felici-
tas? Neque vero ignorare videmini, quam certo
hæc, aliaeque malorum catervæ, seditionem sequan-
tur

er, quam illæ rapiant, consumant, cōficiant omnia,
nervos atq; vincula Rerumpubl. disrumpant, op-
portuna cuncta hostibus reddant. Et hoc tamen u-
nicè agitis, Macedones, cum in hoc præsentí statu,
inter hostes & arma, absq; rectore & capite sitis
constituti. Viguit, viguit quondam Alexander Ma-
gnus, vixit concordia, valuit sanguis, non fuerunt
affinitatis jura violata, post illius verò excessū, omnia
proh dolor! spreta ac repudiata jacent, ita ut eo -
dem funere & Regius vigor, & concordia obruta
videantur. Vestri ergo officij est, Macedones, ut se-
ditionum vias omnes intercludatis, ijs occurratis,
qui rei familiaris factas lacunas, aliorum facultati-
bus complere conantur. Nam, quod hi dissensus sint
suborti, & gravis, Alexandro sine liberis extincto,
de successione regni controversia exarserit inter
proceres regni, factum est per temeritatem & am-
bitionem tum Meleagri; tum Nearchi; tum Phito-
nis, tum Perdiccæ, qui effreni ambitionis cestro
perciti eousq; procacitatis atq; insolentiae procedere
non dubitaverunt, ut hæreditatem alijs successionis
jure debitam, perperam intervertere, atq; univer-
sam ad se trahere fuerint conati, nō causæ æquitati,
sed minacibus edictis & armorum denunciationi
confisi, cum tamen extra omnem dubitationis ale-
am pateat, nemini Macedonas vires imperij obsi-
gnare debere, quam unico Aridaeo. Si proinde
creditis, nil opus est tam anxiis deliberationi-
bus, nil tam difficilimis controversijs est opus,
Regum omnium, quem deesse votis querunini.

pi, habetis Aridæum. Quod dum dico, non eâ sum
temeritate, ut partes constituendi regni mihi su-
mam. Nunquam adeò tenuitatis meæ ero inmemor,
ut tam insolenter agam: sed neq; tamē adeo hâc i-
psa deprimar, ut boni publici curam aggredi nun-
quam, vel ausim, vel velim. Absit id à me, ut, si for-
tunæ, pietate quoq; in Alexandrum, & amore in pa-
triam alijs inferior sim. Hâc mente, quæ dicta à me
sunt, fuerunt prolatæ, quæ si liberè repetam, quis
obstabit? Regem vero habere Macedonas Aridæum
dico. Neque enim ulli alij æquius concedi potest
sceptrum, quam Aridæo, eadem eum Alexandro
stirpe genito atq; nato. Et quid glorioius Macedo-
niae contingere possit, quam Alexandri sauginem
terum summam tenere? Postquam enim eadem
stirpe ortus, ijsdem plane artibus educatus fuit, quis
non eundé quoq; virtutum propaginem in eo speret,
quibus opulenta mens, gloriissimè, prout Magnus
frater, Macedonum rebus sit profuturus? Ast oc-
currerent nonnulli, non tantam animi magnitudi-
nem, quanta in Alexandro fuit, in Aridæo elucere,
quod quidem facile concedere possum, Aridæum nō
 tanto animi robore, nec eâ imperandi arte valere,
non tanta virtute singulari ac dimicandi peritia in-
structum, quanta Alexander, qui nullis difficul-
tibus bellorum territus, maxime omnium barba-
ros hostes, Scytas quoq;, debellavit. Attamen, hoc si
exspectandum, nunquam Alejandro parem Re-
gem habituri estis, Macedones, neq; enim commu-
nis re-

nis rerum humanarum felicitas, heroica ejusmodi
& stupenda fortitudine regi, sed prout singulari
Deorum munere magnanimi Heroes terris conce-
duntur, ita rarissimè hoc ipsum contingit. Et quis i-
deo Regum omne imperium detrectet, quod Ale-
xandrina virtute non excellat? Optandi semper
optimi, sed sæpe, quales divinitus donantur, tole-
randi. Hac proinde ratione, si emendari mentes pa-
tiamini, facile quo errore teneamini capi, patebit.
Dum namque sumnum illud Heroicæ virtutis decus
in Aridæo desideratis, omni virtute vacuam ejus
mentem asseritis, cum tamen nihil ab Aridæo com-
missum proferatur, quo aut genti suæ, aut regijs ho-
noribus, aut militum favori, aut procerum affectui
quicquam adversum egerit, quin contrarium po-
tius inde elucet, quod summoperè ab Alexander,
propter insignes virtutes, sit amatus, sicque tacitâ
quasi voluntate, cum per modestiam exprimere
nollet, successor & hæres regni denominatus. Eâ
namque erga vos, Macedones, semper fiduciâ fuit
Alexander, ut, summam vestrorum fidem expertus,
nunquam imperium à se, & à stirpe sua universa,
vestra culpâ ab alienaturum iri speraverit. Et vos
ipsos já interrogo, ut libera optione Regē eligatis,
edicatisque, utrum Regiæ stirpis moderata virtutem,
an impotentem superborum Procerum dominatum
ferre malitis? meæ quidē tenuitatis mente si dicere
debeam, profecto lubentissimè tali Regi imperij
gubernacula tribuerem, qui virtute mediocri sit
præditus, modò ne prorsus omnis vacuus sit, cum

constans semper sapientum fententia sit, in illustri-
bus & Heroicis familiis, sepe generosiores naturas,
qua in humili & ignobili ortis genere hominibus, esse.
Quamvis hanc ad rem plus etiam momenti ponde-
risq; accuratam educationem, disciplinam, do-
ctrinam, fidelem institutionem, exempla & senten-
tias seniorum adferre arbitror, ita ut nec Alexandri
Magni Pater, Philippus Rex Macedonu, virtutib; su-
os maiores superaturus fuisse videatur, nisi triennij
spatio obses Epaminondae datus fuisset. Imo, ipse A-
lexander non tantas rer; gessisset; nisi a Lysimacho
& Aristotele a teneris unguiculis fideliter informa-
tus & educatus fuisset. Et jam, cum ijsdem
cum Alexander artibus sit educatus, quidni
gloriosissime quoq; libertati vestræ profuturum
credatis Aridaeum? Sed si, sepositis ijs omnibus,
illud unum cogitatis, quam nunquam successio
postposita fuerit eligendi studio, quid tadem vide-
tur, postquam gentium omnium jure confirmatum
videmus, non tamen in constitutione Regu, regiam
stirpem praetermundam? Nam, quæ nonnullorum
opinio est, ut in agris frugum interdum, fructuumq;
magnam copiam, penuriam aliquando deprehendi;
ita in familjs quoq; illustribus ac nobilibus, a Paren-
tum majorumq; suorum virtute plurimos degene-
rare, id neq; semper contingit, neq; probari de
Arideo poterit unquam, hinc qua ratione exclude-
sum velitis a Regno ipsi videatis, Melius, me-
lier, ampler est, si mihi creditis, successione Remp.
admi-

stri-
ras,
esse.
nde-
do-
ten-
ndri
o su-
nnij
e A-
cho
ma-
dem
dni
rum
nni-
essio
ide-
tum
ian
rum
m
ndi;
ren-
ene-
i de
nde-
ne-
mp-
lmi-
administrari, quam electionibus. Nam quando-
cunq; hæres aliquis, ab ipsis incunabulis regno na-
scendi sorte, destinatus est, omni studio ac diligen-
tia enutritur, sedulà curâ parentum cognitioni ac
prudentiæ rerum assvescit, sicq; instructus hæres
sceptrum religiosè postea tenebit, honore tanto
oblato, non tanquam re nova & fortuita, intume-
scet, sed regnum potius, ut jus suum, legibus de-
fendet: secus si fiat, plerumq; quæ exeris conce-
duntur, negligentius oscitantiusq; tractantur regna
cum nemo mortalium tam solerter peregrinorum,
quam suorum, in prosperitate afferenda curam ge-
rat. Adde, quod, ubi electio prævalet, ibi in electio-
ne frequenter cupiditas, & libido dominandi re-
gnet, perpetuas flamas seditionis moveat, factio-
nes alat, vi, armis, insidijs devastet omnia, & hæc
dum auditis, nondum liquet, melius esse ut Regi
in regno Frater succedat, cum filius non supersit,
quam ut aliis eligatur Rex. Et quid multis? libera
voce dico, Aridæum, etiamsi impar imperio esse,
utilius tamen Reipubl. præfuturum, quam, si nova
electione, cardines totius Reipubl. concutiantur.
Omnium annalium historiam excutite, & semper
successionem magis, quam electionem probatam
videbitis. Atheniensium Principes, ab Echthronio
ad Codrum & Archontas, successione quadam impe-
rarunt: Lacedæmoniorum Reges à Lelige, ad Ti-
samenū, ex eadem petiti stirpe ac familia ierur.
Post, hac quoq; extincta, regnum duobus credit

ac commissum suisse familijs legimus, quarum una
posteriorum Euristhenis Agidarum, altera Proclis
Eurypontidarū extitit. Apud Asyrios tres & triginta, à Ni-
co ad Sardanapalum, coronam obtinuerunt.
Sed ne tam multorum exemplorum recensione be-
nevolentiam vestram, cuius auram svavissimā
adhuc spirare mihi sentio, onerare videar, aciem
claudant Persæ, dum à Cyro ad Darium usq; Arsia-
ni filium, à parentibus relictum, diadema capiti-
bus suis liberis imposuerunt. Quare dijudicandum
vobis Auditoribus merito relinquo, qua ratione,
hunc designatum ab Alexander successore, ab im-
perio remoturus quispiā sit, quē arctissimā familia-
ritate complexus, non modo inter mensæ accusa-
tiones, verum etiam sacrificiorum solem̄ sum-
mam devotionem, quorum quanta religio apud
nos existat, probe scimus omnes, semper consor-
tē atq; sociū habuit Alexander? vel an levē ini-
quitatem commissuros vos putatis, si hac in parte
Alexandro refragari non veriti, cum præter hunc
Aridæum aliis nullus regni hæres supersit temera-
ria regni à stirpe regia translatione, ingrati in Ale-
xandrum maioresq; fatis. Sed videre vos opinor,
Macedones fortissimi, quam se latus orationi mea
campus ostendat, si, quæcunq; hoc loco sese offe-
runt, persequi, & in singulis insistere atq; immo-
rari velim, quod tamen ne fiat, illud saltem adhuc
mentem subeat, quam fideliori curâ eadem sacra,
& ritus civiles ab indigenis perfici possint, quam à
pere-

peregrinis novos mores subinde introducentibus ,
sicque innovatione status plurimum Reipubl. no-
centibus, quod tamen ex hujus successione metuen-
dum vobis non erit. Quemadmodum enim eodem
nobiscum ære nutritus ; ita quoq; idem animi mo-
tus, indeq; arctior conjunctio speratur : contra , si
aquas peregrino solo derivatas , aliquid semper
peregrini saporis secum ferre sentimus, non secus
peregrina familia orti peregrinos plerumq; mores
inferunt. Quo nomine laudandi ac summis hono-
ribus evehendi veniūt Persæ, quod crimen capita-
le præcipuè statuerint, si è terra peregrina invehe-
re peregrinos populos ausi , quasi interitum accele-
raturi Reipubl, essent ; non secus ac cibi insoliti
quoq; stomacho noxii videntur: & vos, Macedones,
peregrinū Regē, fastidito legitimo successore, ex-
optare nō veremini? Ast adsint nōnulli, qui in mediū
prosilientes, in hæc verba fortasse crumpant, Per-
diccā aliosq; proceres. Regni indigenas quoq; esse,
quod ita non nego, ut tamen novos eos, & irreptiti-
os in summam rerum potestatem homines dicam,
hincq; nunquam Aridæo, quem, præ reliquis omni-
bus, nascendi sors sceptris destinavit, conferri pos-
sint. Perdicca proinde , cæteriq; proceres, non nisi
varijs difficultatibus invitum obsequium obtine-
bunt, sicque coacta quodam modo , sub initium ,
parendi promptitudine, novos motus , sat jam tuf-
bato imperio, excitabunt, unde inimicitiae privatis
ortæ de causis, in publicum tandem malum atq; ex-

D

itium

itium prorumpent ; quemadmodum igniculus tenuis, scintillula neglecta, non domum solum unam invadere, sed latius etiam serpenti malo, ædes vicinas corripere, imo integra sæpe oppida & Republicas perdere solet. Sunt enim hæc illa fulmina, quibus totæ Republicæ, integra imperia, evertuntur, quos tamen omnes tumultus ac motus, conservati jam Alexandri nomini & genti Macedones, sub Regij filij fratrisq; Aridæi imperio sunt oppressuri. Quod namq; Magistratus omnis prudentis ac boni maximum studium esse solet, Aridæi quoq; erit : providere, ut vel litibus subdit i careant, vel saltem, quæ excitari perfidiâ posse videntur, occultè sanetur, ne ad extrema remedia pervenire necesse sit. Quia in re naucleros peritos sequemur, qui sicut tempestatem neq; optant, neq; provocant, exortâ autem navim non deserunt, sed periclitanti succurrunt, ac ne frangatur, sacram, quod ajunt, anchoram jaciunt : Sic ille Aridæus dissensionum clanculum semina non sparget, aut fovebit, sed his intersubditos excitatis, prudenter obstat, non propter infelicem forte successum, desperatione ac formidine animum abjectet, non clam sese subducet, non querelis omnia complebit, sed in eo totus erit, ut dissidentes tales animi, medijs quibusdam in gratiam reducantur. Quin tandem itaq; clarius venerationem & amorem Alexandri Magni testantes, cum nihil, hoc rerum statu, fructuosis ureperiatur, quam habere, in cuius quasi sim, um vestris cu-

ras

ras & ærumnas effundatis ; cum innumerum commodorum fructum Reipubl. promitti , ex Aridæi successione videatis ; merita regia dignius æstimatis, Macedones , ac , quâ polletis potestate , Aridæum , Alexandri Magni fratrem , successorem confirmatis : morte contra eos multatatis, qui, dum excluso regni successore & hærede , concionem de novo Rege eligendo ausi sunt rogare , nil aliud quam discordijs ac dissensionibus agitato regno extremam , quam diu avertant Dij, ruinam inducere fuerunt conati.

Dixi.

O R A T I O VI.

Continens

Inaugurationem & Confirmationem ARIDÆI premissis nonnullis alijs.

Habita à

CASPARO FRÖBNER NOB. BORUSSO.

Nullum itaq; adeo sanctum erit pignus, quod vulgi constantiam asserere possit? nullum tam firmum vinculum, quod non rumpat plebis mobilitas? nulla deniq; vel certissima utilitatis spes, quam non eludat, lubricus ac impotens libertatis suæ usurpator, populus? Evidem magnos cier fluctus profundum mare; multa, ac metuenda pariter, mutabilitatis suæ ostendit experimenta vastum & procellosum fretum; adeò ut meritò, in sui admirationem

D 2.

tionem

tionem rapiat spectatorem, qui mox contrahi;
mox citato fluxu sedem suam repetere; mox quas-
dam vcluti tērga dantes, quasdam victrices aquas
trahere videt undarum cursus. Verum longe ma-
jores motus habet, perpetuis s̄ævientis oceanii
fluctibus exposita, vulgi mobilitas, quæ & eo usq;
insanit, ut vel tutissimam quietis stationem videns,
transversas tamen juvet procellas captare, & vanā
imagine, ac speciosæ libertatis luxurie abripi. Hi,
hi furentes illi sunt fluctus, qui inani effusæ liberta-
tis fumo corruptas mentes, tantis procellis im̄iscent
ut non nisi intemperantes ac maturi, boni sui
usurpatores existant, verum quanto suo cum dis-
pendio? quanta cum ruina? O liceret jam inopi-
menti votis, Macedonum felicitatem a Dijs emen-
dicare, ac optatis frui, non pretiosum quidem cum
ijsdem contractum, Phrygiæ stultiæ æmulatrix,
iniret; sed illud saltem intimo pectore voveret,
ut fallaces hosce sirenū scopulos Macedones de-
clinare, ac constanti concordiæ studio, quod tot
Rerūpubl. incrementa promovit, publicam salutem
procurare scirent. Verum, proh dolor! multo lon-
gius ab ea mente, Carissimi cives, quam quidam &
singularis vestra prudentia promittebat, & votis
præcipiebamus omnes, deflexistis, proximeq; illo-
rum insaniæ accessisse videmini, qui vanā opinione
percussi, sibimet ipsis non constant, & effrenem il-
lum libertatis usum non alijs modo gravem, sed &
sibi præcipitem faciunt. Non video quipe ullam

senten-

sententiae vestrae, quae quidem maximopere hic requiritur, constatiā, dū nūc huc, nūc illuc animis inclinatis; nec ulla certa re stare potestis, ac, quē unani-mi consensu Regem poscebatis, unica Pythonis oratione mutati abrogatis. Ast quae tandem subest adeo sotica causa, quae voluntatem vestram mutare queat? num Pythonis oratio? Non speranda quidem ulla æquitatis ratio ab eo homine, qui, potentioris metu, corruptus, potentiae potius illius, quam pattiæ saluti, studia sua consecrat. Exulat ab illo Reipub. amor, cuius pectus, privatum commodum, & timidus superborum cultus occupavit. Quid Python Patriæ consulere poterit, qui, cuius mancipium est, Perdiccae potentia adulatur, & in illum, non publici boni studio, sed sui emolumen-^{tū} spe, rerum summam devolvere; Aridæum vero, quem & sua virtus & consentiens vestrum arbitrium, jam dudum sceptris destinarat, privare ijsdem conatur? Aut, quid tandem aliud obijcere Aridæo potuit, nisi magnanimitatis specimen nullum ab eo editum? Etiamsi largiremur hoc turbatorum pervicaciae; non tamen video, quomodo ptopterea gentium jura violanda sint: quomodo fallendus, acerrimus federum vindex, Deus. Sanctius observanda sunt tot sacramentorum reverenda vincula, quam ut tam levissimâ re rumpantur. Neque ita impune licet censoria severitate, in prudentissimi Regum largitoris arcana inquirere, ac, quos ille Regnis rectores præfecit, suggillare, siquidem

D 3

non

non segnior ille eorum Majestatis , quos suas vices
gerere voluit , quam sui cultus , assertore esse solet.
Nunquam quippe obstare potest Regum for-
tunæ naturalis defectus , quin obumbratur ille po-
tius augustissimo splendore , sub cuius protectione
tutus est ab omni contemptus metu . Ac proinde ii ,
quibus nascendi felicitas aditum ad sceptra fecit ,
quibuscumq; sint dotibus , tolerandi , prudentiæ
consiliariorum operâ sublevandi potius sunt , quam
rejiciendi , præsertim , si hæreditario jure , Reipub-
licæ gubernaculis præfici , mereantur . Hinc vene-
randa veterum Babyloniorum , & Ægyptiorum reli-
gio nativa ; quæ erga principes suos reverentia
stimulata , ne sequorissexus quidem , qui tamen pa-
rendo aptior natus videbatur ; nec illorum , qui
muliebri mollitie , & fœdissimis vitiis deturpati ,
proximè illi accesserant , imperium declinavit .
Quid si hæc , erga Reges suos , pietas fato in nostrum
ævum delata fuisset , nonne superet hæc machinas
**nonne detestaretur nefarias , quæ justis regnis stru-
tur , molitiones ? Si olim majores vestri , cives ,**
**Pythonis consilium accersivissent , obliti fane fu-
issent , quod adeo strenue observarunt , homagij**
**præstiti , nec Regis sui Europi infantiam , ab hosti-
bus contemptam , quæ nullum vel exhibere , vel**
**policeri poterat , adhuc tum magnanimitatis speci-
men , tantâ veneratione prosecuti fuissent , ut , absq;**
**cujus auspicijs pulsi erant , ejusdem , in cunis pro-
lati , Majestate animati , victores hostium redirent .**

Nec

Nec habuisset Macedonia Perdiccam, Archelaum,
Reges, qui, licet non ita, vitiorum turpitudine,
infamem sui memoriam ad nos transmiserint; non
caruit tamen quisq; suo nævo, longeq; infe-
rior Alexandro fuit eorum virtus. Sed quorsum
hæc æquitatis ardore abrepta mens? Neq; enim
adeo à virtute remotus est Aridæus, ut ad hoc pa-
trocinium confugere necessum habeat. Quin egre-
gia potius ejus indoles, à conviciis hisce vindica-
bit illum. Nota est illa, non imperito virtutis cen-
sori, Illustri procerum collegio, nec Divo, quem
anhela jam desiderant suspiria, Alexandro igno-
ta, cui quidem quid placere poterat, nisi à virtute
profectum? Quemadmodum enim totus coruscus
erat virtutum fulgore, non secus ac fulgidissimum
cœlum stellis; ita neminem ferebat comitem, à
quo vel minimum caliginis, periculum suæ luci
metuere posset. Non dignatus esset magnus ani-
mus, suo confortio egregiam indolem, nec ad in-
teriorum familiaritatem illam admisisset, si non
virtutibus claram, & magnarum rerum, æmulatri-
cem eandem perspexisset. Mirabitur quis forsan,
quid ita abscondita latuerit, nec paria Alexandro
specimina ediderit, virtutibus conspicua Aridæi
indoles: verum modestia hæc ejus, qua nunquam
parem fratri regio, honorem affectavit; nec un-
quam vel æquari eidem, vel palmam præripere vo-
luit; Sed, licet quandoq; fortissimam gloriæ suæ
segetem nacta fuerit, ultiro fratri eandem concessit,

sæpi-

Sæpiusq; occasionibus militaribus, quibus æternam
Sui nominis memoriam statuere poterat, se sub-
traxit, quo illius saltem gloriam augeret: nunquam
materiem generosæ menti defuturam ratus, quâ
impostorum suam laudem stabilire posset, cum e-
jusdem & cumulatior, & gloriosior fructus ad se
proventurus esset. Latet namq; sçpe numero virtus,
nec tamen omnino abest. sed lætiorem saltem for-
tunæ auram exspectat, quam simul ac adipiscitur,
mox erumpit, &, quæ hucusq; suomet contemptu-
tuta latuerat, quid in se præsidij sit, ostendit. Sic
lucidissimus solis splendor, nubium caligine non-
nunquam involvit, &, qui omnia sublunaria
hæcce, radiante vigore suo animat, terra interdum
nigredine inducitur; cum tamen suo tempore luci-
dissimè refulgeat &, quo invitus orbem defrauda-
rat, fulgorem, nova accessione auctiorem, reducat.
Sic & ignis favilla sçpe rectam virtutem suam
premit, &, ne minimum quidem fulgoris sui indi-
cium prodit; sæpius tamē fortiter erumpit, & inspe-
ratâ flammâ subjectam materiam corripit. Quid
mirum, si & Aridæi divina mense, sæpius obnubilata
concesserit nonnihil turbido cœlo, & atro nubium
involutio celaverit suam lucem. Non desperanda
& ei svavioris cœli clementia, cuius beneficio dis-
cutiat omnem caliginem, & fulgidissimè resplen-
deat. Erumpet suo tempore, prudentissimo nunc
pectore reconditus, flagrantissimus ardor, &, quod
patria avitaq; virtus nobis pollicentur, felicissimo
omini

omini respondebit. Auguratur jam præsaga mens,
conservatum iri eadem, fortuna obstetricate, Ma-
cedonum rem, quâ, auspicatissima incrementa
cepit. Cum enim eadem, quâ Alexander, stirpe
ortus sit Aridæus codem quoq; traduce propagatâ
virtutem esse quis dubitet? Indignum quippe pu-
tabit suâ generositate celsissima mens, ut à ma-
jorum virtute deflecat, & bonorum omnium præ-
claram de se conceptam spem fallat. Perspexit
illud probe, politissima prudentissimi Meleagri
ingenij lux, quâ accuratè omnia expendens, hunc
unum dignum statuit cui Imperij fasces comittan-
tur. Nec dimoveri publici boni studiosus animus
ulla re ab ea mente potuit, quâ publicam salutem
asserere constituerat. Intentabat hîc nescio quas
minas, quasve turbas Perdiccæ potentia, illîc Py-
thonis convicia motus quorundam ciere videban-
tur. Verum non est ille fastuosæ potentiaz fulgor,
qui intrepidi viri oculos perstringat; non ea Pytho-
nis suada, quæ constantissimam ac patriæ salutis a-
mantem Meleagri mentem blanditiis suis delinit,
quin & contra effrenem Perdiccæ potentiam, & in-
temperantes Pythonis calumnias, ei regnum decer-
nit, cui ad hanc spem genito, & suum jus & sua vir-
tus sceptrâ defert. Hæc hæc est constatia sapientis,
quæ & potentiorum minis, impavidum & fortissi-
mum pectus opponere novit, & blandienti fuso de-
mulcericavet. Procul illa à se faceſſere jubet fu-
rentium hosce flatus, nec ſentire quidem de -

bachante in illam turbarum insaniam animadvertis-
tur, utpote, quæ altiori indagini addicta, tutissi-
mam se ab insultibus hisce novit, non secus ac o-
lympi cacumen, impune ab immanitate ventorum
infestatur, & cum altius sit, quam ut tempestatum
vi pateat, ultro despiciat ui habens inclementes pro-
cellas, quod æternæ legis imperium ei addixit,
divinum opus peragit. Et quemadmodum procera
arbor eò altius radice terram comprehendit, quo
sævius ventorum furijs exagitatur, ita purius eni-
tescit & suo orbi luculentius probatur cordati viri
constantia, quò magis cum Lernæis hisce discordi-
arum monstros conflictatur, nec dū ei occasione exhibendæ virtutis præbent, movetur digladiantium
fremitu, sicuti & editarum arborum fastigia, flo-
ci pendunt immanes ventorum insultus. Stat illa,
ut altissimis defixa radicibus rupes, cujus culmen
ne attingunt quidem fluctus, infima autem dum
verberant, ipsi franguntur. O utinam plures Mele-
agro similes edidisset noster orbis, ac fidelissimos
eos experiretur boni publici procuratores! Utinam
multos Meleagri mente imbuitos aleret Macedo-
nia! jam dudum in portu esset, quæ fluctibus adhuc-
dum patet, nostra Reipubl. navis. Sed eo jam hmise-
riatum devenit, pro dolor! Macedonum res, ut vio-
lentia moderati regiminis, cui in hūc usq; diē consue-
verunt liberrima peccora, locum subierit, &, qui
vi rerum summam ad se rapere conantur, violenta
consilia sua, refraganti maxima militum parte, exe-
quuntur. Jam enim in effectum erumpere videtur,

quod subdola Perdiccae consilia tentabant ; quippe Python omnium suffragia in suâ opinione legens , nullius vel procerum vel militum consensu requisi-
to, sua & Perdiccae consilia in actum quin fere jam perduxerit , haud multum abeft . Hæcine autem Pythonis autoritas , ut omnes ille solus referat Macedonum cives , & pro lubitū suo de illorum li- bertate decernat : eane ipsius majestas , ut , si Di- placet , etiam inviolabilia gentium jura , reverentia illius mota , vigorem suum amittant atq; marce- scant : hæcine potentia ejus , ut , vel in rerum omni- um dominam naturā , dominium sibi vindicans , quos nascendi felicitas ad imperiorum culmina evexit , hos ille deturbet ijsdem , & mox , quocunq; potest , jure jurando obstringat , insuper , certò jam divinans felicissimum conceptæ prolis fatum , tu- tores , nascendo adhuc Roxanes filio constituat . Non ea quidem Divi Alexandri crudelitas fuit , ut huic homini arbitrium de nostra libertate conce- ferit , nec veſtra hæc erit temeritas , cives , ut vo- luntaria servitute ejusdem libidini vos mancipetis . Quin certam potius fiduciam pollicetur mihi veſtra prudentia , quâ non cedetis temerariorum co- natibus , ut Patria avitaq; libertas nefandis eorum- litibus confundatur , sed , prout cœpistis , Aridae regnum prompti suscipietis . Exigua namq; res , & , vel in abjectissima capita cadens , arrogantia illa , quæ nullo prorsus jure debitam observanti m- fibi afferere tentat : Verum resistere illi , nec ani-

mum

num despondere, illud demum magnanimi atq; intrepidi est viri. Neq; enim successu destituitur tam pia cura, quin semper gravis exitus incubit male feriatorum cervicibus, quæ nunquam impunè sceptris illusserunt ; vel etiam effugere vindicis Dei Nemesin potuere : nec unquam justis regnis seditiones illæ factiones prævaluerunt ; sed semper autores, quod aliis intentabant, infortunio maectavere. Verum quousq; tandem cunctamini, Macedones, cum dicta omnia probe intelligatis, Regem Aridæum agnoscere? quousq; inertimoræ indulgetis, &, quò tota inclinare videtur vestra observantia, ingratâ cunctatione protrahitis? Jam semel, atq; iterum, à Meleagro adductus Aridæus, quod suo jure obtinet, regnum consentienti vestro suffragio, cōfirmari cupiit, ac infectâ causâ excessit. Quin igitur potius eâ, quâ par est, reverentiâ venerandam Alexandri memoriam exosculamini, ac stirpem ejus debita observantiâ honorantes, non degenerem Alexandrinæ virtutis hæredem, intrâ primum ætatis robur, vegetum adhuc successorem pronunciatis. Sed singularia jam mihi indicia affulsiſſe videntur mutatæ mentis, & ex singulorū vultibus optatisimū lego consensū. Cerno exorrectas, & justitiæ ardore incensas frontes : cerno patrio amore inflammata, & ingenuitatis colore purpurea ora, ac unanimi silentio, in auspicatissimum Aridæi imperium, conspirantes animos. Ne ergo ipse solus morer tam salutare propositum, rem ipsā aggress-

aggressurus, quod devotissimis gestibus, ac tacitis
signis exprimere tentant Macedones, quodq; felix
ac faustum, & æternū salutare Macedonum rei
esse jubeat, Jupiter O. M. ARIDÆUM MACE-
DONUM REGEM propitiis dijs, consentienti-
bus bonorum omnium votis, omnium ore renūcio
atq; proclamo. Jam ad te, Auguste Rex, orationis
vela dirigo, & quæ inaugurationis solēnia restant,
jam jam peragendā annuncio. Et primum quidem
indueris Regiā, fratriis Alexandri, veste, quæ, cum
augustissimo corpori super inducerur, ardentibus
votis ominamur, ut animo simul Alexandri indu-
tus fortiter rem Macedonum geras. Ita enim tan-
dem dignus eris Majestatis Tuæ assertor, si nō modo
vestis, atq; regni Alexadrini hæres, sed & fortitudi-
nis ejusde æmulator extiteris, & quemadmodum il-
le latissime protulit imperii sui fines, sic Tu pru-
dentissimus sis ejusdem conservator. Cogitabis au-
tem, Serenissime Rex, nō minus cives tuos, ab ho-
stium injuriis tegendos esse, quam corpus vestibus
tectum, securum est ab injuriā cœli & inclemētiā.
Umbra eris ac receptaculum, quo confugient fide-
lissimi subditi, quosq; clementia tuæ alis proteges,
& ab ijs omnium injurias propulsabis. Et, si inulto
auri splendore distincta sit Regia vestis, gemmisq;
lucidissimis resulgeat, Majestatis suæ fulgore su-
pereminere sese omnibus, eodemq; & cives, &c
hostes suos vincere debere, cogitabit Regius ani-
mus. Deinceps in Regio solio, quo vestis primum
reposita fuerat, collocaberris. Umbra quædam erat

filud saltēm pristini splendoris, atq; signum defun-
ēti Regis; nunc verò novo Rege animatum novo
quoq; induetur vigore. Proinde non minor erit ejus
autoritas, dum augustissimo tuo præsidio nititur;
quam, cum Divus Alexander eidem repositus, jura
gentibus redderet. Quemadmodum enim undiq;
jam circumstant Regium solium Proceres, & gratu-
labundi majestatem reverentur, ita perpetuò o-
mnes subditū protissimis servit ijs sunt adstituti, ac
quæcunq; ex Regio throno mandata dederis, ad e-
adem conficienda, nō pedibus, quam animis parati-
oribus properatur. Vos saltēm, mei Cives Mace-
dones, ne desitis optime, de vestrâ observantia,
conceptæ fiduciæ, cavete, ac vestro nomine, à me
factam novo Regi sponsonem, si delissimis obse-
quijs implete. Ita namq; demum fiorentissimus
fuis vigor Macedonum rei conitabit, si quā vobis
certò promitto, regiam clementiam, subjectissima
fides vestrā, novo semper incitamento augere cer-
tabit. Sed injurius sum in Macedonum pietatem,
dum importunus existo exactor, ad quam paratissi-
mi inclinantur, devotissimæ eorum obedientiæ.
Probec enim novit illa integerrimâ fide, propria ve-
neratione, ac paratissimo corporum objectu Ré-
gis sui salutem procurare. Proinde nil magis optat,
quam ut certissimum hujus rei testem edere, ac pi-
gnore quodam fidem suam confirmare, homagio-
q; eandem Regi suo obstringere possit. Quod,
quemadmodum decreverit Regia voluntas, matu-

tar



rate, fidemq; civium suorum juratam excipere po-
terit. Ei, quod solemnem inaugurationis hujus ritum
absolvet, jam addetur, Serenissime Rex: &, muta-
to Aridæi nomine, felicioris omnis causa, Philippus
appellaberis, hoc fine, ut , dum felicissimi Regis
nomine, memoria quoq; ejusdem quotidie renova-
bitur, & firmissime mentibus imprimetur, simul
indies nova erga te devotio excitetur, similemq; &
Tu de subditis Tuis fidem, & illi de Tua fortitudi-
ne felicitatis successum exspectetis. Nil ergo super-
est, Carissimi Cives, quam ut, quod diu pressistis,
tacitum votum fausta acclamazione exprimatis,
unoq; omnes ore , in hocce auspicatissimum vo-
tum, mecum erumpatis. Vivat, vivat Macedoniam
Rex, Philippus, & novo semper vigore resurgat,
& cuius Filius. Philippi fortunam; cuius frater,

Alexandri fortitudinem, regni sui
præsides experiatur.

Dixi.


CONCLUSIO.

C O L E N D I D O M I N I :

Non immerito, sub initium , vereri ipsas bo-
nas literas dixi, ne ex asse beneficium honorar-
tissima hujus præsentiae hac vice promerentur.
Re ipsa enim docente, multa, prout in ty-
pocinitis solent , imperfectionum tadia occurre-

rum

runt. Verum quid agas? Nunquam solidos Elo-
quentiae fructus, primus hujus etatis flos con-
cedet; sed prout in arborum fætibus, non, nisi
justo tempore, maturitas flori succedit: Ita, si,
Deo volente, maturior hanc excipiat etas, non
puto, defuturos charissimæ patriæ nobilissimos
fructus. Quod quidem si, prout in uo
petii, continuo magni affectus tenore, à Domi-
nationibus vestris ulterius promoveatur; nun-
quam ego colendistam generosis mentibus, quā-
sum Deus permittit, sum defuturus. Illud sal-
tem unâ voce orandum est, ut, qui omnium im-
periorum unicus & autor est, & conservator,
nostris etiam seculis, illud patriæ regimen conce-
dere clementissimè dignetur, sub quo & Eccle-
siarum, & Scholarum, cum patriæ universæ sa-
lute publica, constet vigor, quo eò felicius sin-
guli divino honori, aliorumq; emolu-
mento operari valcamus.



Aug IV A 305

ULB Halle
002 699 877

3



S. b.

KOTT




-x-

10/3

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



CONSULTATIO CVRTIANA, SUPER SUCCESSORE ALEXANDRI MAGNI CONSTITUENDO, SEX ORATIONIBVS EXPRESSA, AC PVBLICE PROPOSITA ACCURANTE

Galentino Tisone.



REGIOMONTI.
Literis Paschalis Mensenij Anno 1643.